


Digitized by Google

9. h. 197

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

EPISCOPATU SABIONENSI
S. CASSIANI
MARTYRIS
DEQUE
S. INGENUINI
EJUSDEM URBIS EPISCOPI

ACTIS

HIERONYMI TARTAROTTI
ROBORETANI

AD

ANTONIUM ROSCHMANNUM

EPISTOLÆ DISQUISITIO

AUTHORE
EODEM ANTONIO ROSCHMANNO
J.U.L. SAC. CÆS. AC REG. MAJ. BIBLIOTHECÆ PUBL. THERES. PRÆFECTO,
PRO-ARCHIVARIO AULICO ET ILLVSTRISSIMORUM PROVINCIÆ
ORDINUM HISTORICO.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

ULMÆ,
TYPIS EFFORMABAT WAGNER. MDCCLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS, PERILLUSTRIBUS AC ILLUSTRIBUS DOMINIS, DOMINIS ECCLESIÆ CATHEDRALIS BRIXINENSIS, RESPECTIVE PRÆLATIS ET CANONICIS.

FERDINANDO JOSEPHO GABRIELI COMITI A SARNTHEIN, DOMINO IN ROTTENBUCH, KELLERBURG, ET KRANZLSTAIN, PRÆPOSITO: NEC NON EPISCOPO HYPSOPOLITANO ET SUFFRAGANEO, AC PRÆPOSITO COLLEG. B. M. V. IN AMBITU.

JOANNI JACOBO CAROLO COMITI A RECORDIN, NEUN ET HAANPERG, DOMINO IN RADEGG ET ZELLBURG, INSIGNIS COLLEG. INTICENSIS PRÆPOSITO: DECANO.

Digitized by Google

ANDREÆ WENZL IN STOCK ET: STERNBACH, SS. THEOL. DOCTORI SENIORI.

IGNATIO LIBORIO L. B. A CORETH, DOMINO IN KOLBENTHURN, ET WALDGRIESS: CUSTODI, ET PRÆPOSITO IN INSULA WERTH.

JOANNI THOMÆ DE ZEPHYRIS IN GREITH. SS. THEOL. DOCTORI.

JOANNI PHILIPPO CAROLO COMITI FIEGER L. B. A FRIEDBERG, CRONBURG ET KORB, DOMINO IN DORNSPERG ET HOCH-NATURNS: SHOLASTICO, ET SUMMO POENITENTIARIO.

JOSEPHO IGNATIO L. B. DE ZINNENBERG DOMINO IN WEISHEIM, MAREITH ET CAMPAN: HOSPITALARIO IN CLAUSEN.

CAROLO NICOLAO HILTPRAND DE REINEGG.

EDMUN-

Digitized by Google

EDMUNDO LEONARDO COMITI KUEN A BELASI, LIECHTENBERG, GANDEGG ET ENGLAR, L. B. IN VETERI ET NOVO LEMPACH, DOMINO IN ALTENBURG.

CHRISTOPHORO BARTHOLOMÆO COMITI A MIGAZZI IN VALLE ET SONNENTHURN, ANTEA SACRÆ ROTÆ ROMANÆ PRO GERMANIA AUDITORI, ET CÆSARIS APUD S. SEDEM ORATORI, NUNC ARCHIEPISCOPO CARTHAGINENSI, ET SEDIS ARCHIEPISCOPALIS MECHLINENSIS COADJUTORI.

FRANCISCO GUILIELMO SIGISMUNDO L. B. AB ENZENBERG IN FREYEN- ET JöCHLENTHURN.

JOSEPHO PHILIPPO FRANC. DE PAULA COMITI A SPAUR, PFLAUM ET VALöR, DOMIMO IN BURGSTALL, WINCKEL, ET PIRSCHEIM.

SEBASTIANO FRANCISCO JOSEPHO GAUDENTIO COMITI A LODRON ET CASTRO ROMAN, LATERANO, DOMINO ZIMBERGII, ET CASTRORUM SS. JOAN. ET BARBARÆ, CASTELLANI ET NOVI.

IGNATIO ANTONIO FERDINANDO L. B. AB ENZENBERG IN FREYEN- ET JÖCHELS-THURN.

MARIÆ ROMEDIO LEOPOLDO FRANC. MICHAELI COMITI A SARNTHEIN, DOMINO KELLERBURG, ROTTENBUCH, ET KRANZELSTAIN.

SEBASTIANO COMITI A CLARI ET ALDRINGEN.

JOANNI VINCENTIO PARTICELLA AB ALTENBURG J. V. DOCTORI.

FELICI ANTONIO L. B. DE TAXIS BORDOGNA ET VALLE NIGRA, SS. THEOL. DOCTORI.

DOMINIS DOMINIS AC PATRONIS MEIS GRATIOSISSIMIS.

REVE-

REVERENDISSIMI
ILLUSTRISSIMI,
PERILLUSTRES AC ILLUSTRES
DOMINI, DOMINI!

Hæſitandum mihi minime fuerat, *Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi, Perilluſtres ac Illuſtres Domini, Domini!* cui has Divorum Antiſtitum noſtrorum veluti Vindicias inſcriberem: nam dum conjecturas meas de Epiſcopatu Sabionenſi S. Caſſiani Martyris publici ante triennium juris factas Criſis quædam ſeverior excepiſſet: ita res hæc animos veſtros *Viri Reverendiſſimi ac Illuſtriſſimi* lancinabat, ut de vindicandis his SS. Patronis veſtris cum *Celſiſſimo Principe* ſeriò cogitaretis; & cum idem *Clementiſſimus Præſul* Ta-

Digitized by Google

bularium ſuum ampliſſimum, iis monumentis refertum, quibus nec antiquitas nec præſtantia ſumma deeſt, mihi haudquaquam difficulter reſerari juſſiſſet, Vos quoque veſtrum inſigni promptitudine aperuiſtis, imò indagantem, luſtrantémque me illuſtriſſima præſentia veſtra, conſilio, & ope omnigena frequenter beâſtis, omnique officiorum genere cultum non uno ex titulo vobis devinxiſtis.

Ut igitur aliquod ſaltem Gratitudinis meæ extaret Mnemoſynon; hanc qualemcunque opellam meam Vobis *Reverendiſſimi ac Illuſtriſſimi Domini, Domini!* conſecrare ſum auſus: non quod dignam hanc tantis Viris crederem, ſed quòd omnium decentiſſimè Vobis dedicandam eſſe æquis ſane rerum æſtimatoribus viſum ſit; de primis enim Eccleſiæ, quam tantopere ornatis, originibus, incrementis, SS. Tutelaribus, conſtantique illorum per tot ſæcula cultu agit, ac tempora antiquiſſima, quantum equidem per tantam vetuſtatem licet, illuſtrare pro virili allaborat.

De illis nempe agit animarum Paſtoribus, quos Veſtrum Complures *Viri Illuſtriſſimi, Præſtantiſſimi!* præclarè in paucis imitamini, dum Sponte Veſtra animarum Saluti, Summo Sa-

crorum

crorum hominum negotio, attonitis circumquaque Eccleſiis vicinis omnibus, Zelo Apoſtolico, ſolida ac multiplici doctrina illibata morum integritate, exemplóque admirabili incumbitis. Nemo igitur unus eapropter commeritis Vos unquam laudibus celebrabit; & quamquam admirentur plurimi, æmulabuntur tamen pauciſſimi. Quid enim majus, quàm ſummam nobilitatem in tuguriis abſcondere, & excelſas majorum ceras in abditis Vallibus rudiſſimæ plebi ſubmittere, atque cum gentium Apoſtolo Paulo *omnibus omnia fieri*, ut animæ Chriſto lucrifiant?

Tanta igitur Exempla Veſtra *Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini, Domini!* tum in Eccleſia Cathedrali, atque indefeſſis publicis privatisque pro Deo, Eccleſia ac Patria laboribus, tum concredita quaquaverſum ovicularum cura nemò mirabitur ampliùs, ſi Clerus etiam reliquus firmis adeò premat veſtigiis, ut ab aliquot jam ſæculis vitæ totius probitate, prudentia ac ſcientia eximia à magni nominis Scriptoribus celebretur, atque omni quaquaverſum viciniæ exemplo ſit & admirationi juſtiſſimæ.

Servent Vos Superi *Reverendiſſimi ac Illuſtriſſimi Domini, Domini!* Servent, inquam, Divi Antiſtites noſtri SS. Caſſianus & Ingenuinus: Ser-

DEDICATIO.

Servent Canonicos morum Sanctitate ac ſcientiarum complurium decore, ſingulari in officiis integritate ac prudentia, animarum zelo ac ferventiſſimo Numinis cultum promovendi ſtudio, verbo: *Omni titulo ſuos:* Servent denique, continuentque Succeſſores Vobis ſimillimos in ſeram poſteritatem, in tempus omne, atque æternis faſtis digniſſimos transmittant in memorias Sæculorum.

Ita vovet

REVERENDISSIMARUM,
ILLUSTRISSIMARUM,
PERILLUSTRIUM AC ILLUSTRIUM DOMINATIONUM VESTRARUM

Devotiſſimus & obſequentiſſimus
Antonius Roſchmannus.

Licen-

Licentia

Celſiſſimi & Reverendiſſimi DD. Ordinarii.

Cùm hæ de Epiſcopatu Sabionenſi S. Caſſiani Martyris, déque S. Ingenuini Ejusdem Urbis Epiſcopi Actis veluti Vindiciæ non ſolùm fidei & bonis moribus minimè adverſentur; ſed etiam contrariæ ſententiæ argumenta modeſtè, æquè, ac ſolidè ita diluant, ut firma omnino maneat Eccleſiæ Brixinenſis, utrumque tanquam Sanctum ſuum Epiſcopum colentis, antiquiſſima Traditio; Ideo lucem publicam Easdem mereri vel maximè judico. Dabam Brixinæ die 21. Octobris 1750.

Felix Wexlperger J. U. D.
&SS. Theol. Licentiatus, Conſiliarius Eccleſiaſticus & Canonicus Eccleſiæ Colleg. B. V. M. in Ambitu.

Imprimatur Sigl. in Conſiſtorio Brixinæ die 21. Octobr. 1750.

Ferdinandus Joſephus
Epiſcopus Hypſopolitanus, Comes à Sarnthein, Præſes. *Mppria.*

DE

Digitized by Google

DE
EPISCOPATU SABIONENSI
SANCTI CASSIANI
MARTYRIS IMOLENSIS
EPISTOLÆ
TARTAROTTIANÆ
DISQUISITIO

PARS PRIOR.

Digitized by Google

AD

CLARISSIMUM VIRUM

HIERONYMUM TARTAROTTUM

ROBORETANUM

EPISTOLA.

Placuit Tibi ante annum circiter, Clariſſime Vir, pro ſingulari, qua ſemper aliàs in me uſus es, urbanitate de Epiſcopatu Sabionenſi S. Caſſiani Martyris, déque S. Ingenuini Ejusdem urbis Epiſcopi Actis Epiſtolam typis exaratam mihi ſubmittere, & unà additis perhumaniter à Te aliis litteris ſignificare, ut ea, quæ in hac diſputaveras,

cùm

cùm ejusmodi ſint, ut neque dignitati, neque exiſtimationi meæ officere poſſe videantur, in bonam partem acciperem: pergratúmque Tibi, ſi id ex me Ipſo perceperis, futurum eſſe adjeciſti.

Legi igitur illam, ac relegi totam avidiſſimè, atque ut ſincerè quid ſentiam, Tibi Vir Litteratiſſime pro candore, quem nôſti, & iteratò laudas, edicam, mallem interdum verborum acerbitatem leniiſſes, ac limatiſſimum aliàs, quo ſanè in lingua latina excellis, ſtylum, rebus longè majoribus digniſſimum, non tam acutum, pungentémque adverſus amicum, ac Popularem tuum: & longè minùs in Viros aliquot alios, ſatìs eximios adhibuiſſes. Doctrinæ enim laudem, quæ Tibi maxima ex merito debetur, nimia acrimonia corrumpi, certiſſimum eſt; inſectandi etenim ardor quidam vehementior præſertim inter cives, qui illuſtrandæ Patriæ non inutilem jungere operam poſſent, à prudentibus haud quaquàm probatur, malúntque ii juſtiſſimè, ut alter alterius nævos, ſi qui fortè ob cujusquam ingenii aut judicii mediocritatem, vel ſi etiam hæc abſint, aliis de cauſis more humano irrepant, ferre patienter aſſueſcat; oſoribus etenim noſtris, quorum fortè nec pauci, nec indocti, bellam ridendi atque ſtudia noſtra explodendi occaſionem præbemus ipſi, ſi non ut homines, quos Litteræ mitiori ingenio, nec feros eſſe ſinunt, ratione duce agamus, ſed belluarum more invicem nos impetamus, ac dilaceremus.

Non ea certè mihi mens eſt Doctiſſime Tartarotte! ſingulari me ille obſtringet beneficio, quisquis errorum, quos homo committere ſoleo, me amicè commonefacere non gravabitur. Veniam igitur ſtatim in fronte rogo, quod duplicis muneris ratione multùm impeditus ſtylo non ſemper cultiori,

tiori, & æquali ſim uſus; horis ſubceſivis hæc ſcripta ſunt, Abſit prætereà, ut vel verbulô quemquam offendam; vehementi eapropter oratione uti de induſtria nolueram; excidunt ſæpè non cogitanti verba aliqua, quæ alium in ſenſum facili negotio commutari, aut præter intentionem ſcribentis ſiniſtrè accipi poſſunt.

Certè ſi quid peccatum fuit in Conjecturis meis, illud ob brevitatem temporis, qua tum utendum mihi fuerat, accidiſſe, verum omnino eſt; accelerandum enim fuerat, & ſic verba ſingula trutinari minimè poterant. Stylo quoque nonnihil declamatorio, cui olim alium ob finem paulùm aſſueveram, nonnulla fortaſſis efficaciùs, quàm Conjecturæ ratio expoſceret, proruente calamo & hiſce ſcriptionibus nondum aſſueto, propoſui: quæ ſicuti cõſiteri non horreo, ita & veniam mereri me poſſe confido.

Sic tria, quæ citra ullum quemquam offendendi animum, protuli verba, graviter à te accepta fuiſſe, cùm ea iterato p. 14. tum p. 55. & iterum p. 90. repetas, ſincerè doleo; . cum, qua ratione tam acerba tibi viſa ſint, nulla prorſus ratione aſſequi valeam. Adhibui nempe voculam *temerè*, dum Ingenuinum primum Epiſcopum ex Verſibus Anonymi Mabilloniani adſtruere aliquos dixi. Superi boni! quantum incendium hâc voculâ excitatum eſt! haud equidem ignoro, non unum huic verbo ſenſum ineſſe, id tamen reſcire percuperem, cur inter amicos, cives, viróſque litterarum meliorum amantes, in opere tumultuario, in re demum adhucdum minimè diſcuſſa, ac ſanè multùm omnino à certitudine remota, hoc verbulum in ſenſu peſſimo accipiendum ſit? cur duris adeò vindicandum locutio-

X 3 nibus,

nibus, amariſque jocis, atque inhumaniſſimis ſarcaſmis tanta eruditio atque ſcriptionis elegantia fœdanda ſit?

Alterum quod commiſi crimen, hoc eſſe video, quòd *emotæ mentis* eum vocare ſim auſus, qui illationes meas (liceat mihi cum Scholis loqui) calculo ſuo firmare nolit. Sed da veniam, Vir præſtantiſſime! præfixi ego capiti XVII. hunc titulum: *an cultus antiquus reſpondeat?* cæteris nempe monumentis: tum attuli libros Liturgicos aliquot ſæculorum, ac denique caput hoc hiſce verbis clauſeram: *Emotæ igitur mentis ſit oportet, qui ex tam antiquis locorum ac temporum diverſitate conquiſitis, ſibi tamen in omnibus etiam adeò ſingularibus Feſtis mirum conſonis Codicibus rem tam grandem, qualis eſt vetuſtiſſimus S. Caſſiani, ut Epiſcopi Sabionenſis cultus, eradere, aut impugnare ſe poſſe ſomniet.*

Sed amabo, num inter Te & me unquam mota de Cultu S. Caſſiani quæſtio? Cultus hic omnium conſenſu iſtiusmodi documentis probatur: ſi ergo hæc adſunt, utì adſunt [quod neque ipſemet impugnas] ſidem tuam, doctrinámque hîc imploro, Scriptor Eximie, an tu aliter de homine, qui hæc negaret; ſentires, aut ſcriberes?

Denique meminiſſe Te pervelim, conjecturas duntaxat de rebus antiquiſſimis me attuliſſe; monumenta enim ab iſto tempore quis requiret? Paravi olim juſſu Superiorum Sylvulam duntaxat aliquam de his rebus, non ad id proruente indole mea; [obtorto enim collo ad hoc trahor] mallem illi ſe impenderent, quibus otium & cura eſt, vaſtiſſimo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudio ſeſe totos mancipare: ſed quia nemo aliàs manum ad Tabulam admovit, eam farraginem

raginem in aliquem ordinem tumultuario labore, aliis nempe, quæ mea ſunt, frequenter impeditus, redegi; nam viris quibusdam non imprudentibus viſum, præſtare, ut hoc qualecunque ſit, Juris fieret publici, quàm ut ſine ordine lateret: poſſe ſaltem in quibusdam ſublevari forſitan illos, qui datâ operâ, & ſerio conatu ad hæc vellent incumbere.

Ne autem excitâſſe incendium (quod aliquos facere audio, qui ne quidem unde conjecturas meas ſcribendi occaſio mihi obvenerit, in Capite libri legere dignati ſunt) & de eo reſtinguendo ne cogitare quidem inſimuler, cauſámque SS. Præſulum inhonoro ſilentio deſerere penitus videar, relictis omnibus minùs certis, ea duntaxat afferam, quæ ad firmandum hujus Sancti Præſulis cultum aptiora videbuntur. Neque in his ſingulos apices examinare mihi vacabat, interruptus, tumultuarius, & iterum iterúmque reſumptus labor hic eſt, de cardine rei ſollicitus fui, limandi tempus ferè nullum ſupererat.

Et quamquàm Epiſtolæ Tuæ etiam titulum de Actis S. Ingenuini ejusdem Urbis Sabionæ Epiſcopi adjeceris, quæ tamen ad me nulla ratione pertinent, utpote qui de ſolo Epiſcopatu S. Caſſiani Conjecturas meas protuli; cùm tamen de cultu etiam hujus S. Præſulis non ſpernenda, ni fallor, in Brixinenſi Tabulario, quod mihi adnitentibus ſummis quibusdam Viris elapſo autumni tempore Celsissimi Principis indulgentia patuit, feliciter invenerim, aliíque Viri præſtantes nonnulla, & eximia quædam, ſuppeditaverint; iisdem neque noſtrûm omnium in S. Ingenuinum pietas, neque litteratum publicum fraudandum erat. Quòd dum & Te ſummopere probaturum ſciebam, Vir

Litte-

Litteratiſſime! hærendum ampliùs haud credidi, ſed iſtiusmodi monumentis vel firmare mea, vel emendare ſaltem volui, antequam manum de Tabula removerem, nam de his ulteriùs agere ad alia properanti mihi non eſt animus.

Vale, Vir Clariſſime, optimis ſtudiis Patriam ornare perge, ac me inter Cultores tuos non ultimum numera.

Dabam Oeniponti IV. Idus Nov. M DCCL.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM
PARTIS PRIORIS.

CAPUT I.

Epiſtolæ Tartarottianæ Synopſis, & noſtræ Reſponſionis Ordo exponitur.

CAPUT II.

Anonymi Mabilloniani Opuſculum integrum, cum notis Editoris affertur.

CAPUT III.

Hujus Poëtæ Patria, Scriptionis tempus, ac Locus examinantur.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Utì & Argumentum horum Carminum, cum erroribus in illo.

CAPUT V.

Criſis de his aliorum & noſtra.

CAPUT VI.

Præſertim circa Sabionenſes Epiſcopos.

CAPUT VII.

In iiſdem ſanè huic Anonymo nimium tribuit Cl. Mabillonius.

CAPUT VIII.

Circa primos quoque Epiſcopos antiquiores nihil omnino horum verſiculorum Author probat.

CAPUT IX.

Atque hinc S. Caſſianum nunquam excludit; præcipuè cùm ejus cultum Sæculo jam octavo documentis monſtremus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT X.

Uti & Sæculo Nono per Diplomata.

CAPUT XI.

Ac decimo.

CAPUT XII.

Per Chartas quoque Pagenſes eodem Sæculo complures.

CAPUT XIII.

Quæ univerſim de S. Caſſiano Martyre Imolenſi & Epiſcopo Sabionenſi ritè poſſunt intelligi.

CAPUT XIV.

Hinc aptam hujus S. Caſſiani tempore recipiendæ Fidei hanc Regionem fuiſſe, denuo docendum eſt.

CAPUT XV.

Metropolim igitur reſpexiſſe Mediolanenſem Sæculo quarto.

CAPUT XVI.

Et, ſi quod adſit, Fidei propagatæ circa hæc tempora monumentum, oſtendendum.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Atque eapropter neutiquam omnes ante S. Ingenuinum Epiſcopos explodi poſſe.

CAPUT XVIII.

Præſertim illum à Francis Sæculo VI. impoſitum, nobis iterum fas erit contendere.

CAPUT XIX.

Conſideratisque his omnibus etiam opinari, ritè hanc Diœceſin S. Caſſianum Martyrem tanquam Suum Antiſtitem colere.

Digitized by Google

CAPUT I.

Epiſtolæ Tartarottianæ Synopſis, & Reſponſionis Ordo exponitur.

In Fronte equidem ſtatim *aliqua nimis longè petita, neque ſuo loco poſita, imò obvia* complura, *nec ſtatum Quæſtionis initio, nec perſpicuè ſatis aut quibus difficultatibus implicetur, expoſitum* aſſeritur: Mox *Conjecturis infirmis* me rem agere, licèt *idonei Teſtes* & *validiſſimæ probationes* contrariam evincant ſententiam, non uno ex capite contenditur. Teſtis in hanc rem omni exceptione major Anonymus Mabillonianus affertur, cum quo *domeſtici Catalogi pro lubitu conficti* & ex popularibus traditionibus non rarò coaleſcentes, conferri nequaquam poſſint: *idem hoc eſſe, ac inventis jam frugibus glande delectari, in ipſa divitiarum affluentia, paupertatem ſponte eligere, detectis monumentis pertinaciter*

Digitized by Google

uti nolle, & in tanta ſæculi noſtri luce barbarorum temporum caliginem ac tenebras ſectari. Silentium porrò Prudentii cum authoritate ejuſdem poſitiva *grave firmum* & *invictum argumentum* contra me afferre. Monumenta, quæ nunc ſuperſunt, Brixinenſia ad Sæculum nonum & decimum non pertingere; ſed poſt Sæculum demum undecimum enata eſſe, non obvia eloquentia pronuntiatur. Bartholomæus dein Tridentinus aliam longè in rem à me allatus & Libri Liturgici vapulant, ad quos ideò, *cùm nulla mihi fundamenta probando Sabionenſi S. Caſſiani Epiſcopatui ſuppetant, omnibúsque ſolidis ac primigeniis documentis deſtituto aqua prorſus hæreat*, confugiſſe dicor; licèt eum tantùm in finem producta ſint, ut cultus probetur: ut taceam alia, quæ ad momenta rerum non pertinent. Præcipuè verò Lectiones in Proprio Brixinenſium, & hæ quidem jure vituperantur. Tum ad S. Ambroſium Sabionenſem Eccleſiam minimè pertinuiſſe, utpote cùm nondum fuerit, cenſet. Sic Brennenſem illam de hac intelligi non poſſe, multus Adverſario labor eſt; Tum me Brixinenſem cum Brennenſi confudiſſe, atque Bellunenſem tantùm ſub hac intelligi Eccleſiam autumat: vix alicubi aliàs, quam circa hanc controverſiam, tam multa diſplicent doctiſſimo Antagoniſtæ; *me* enim *diſputationis æſtu & intemperanti Sabionenſis Eccleſiæ, quo jure, quâve injuriâ nobilitandæ libidine imprudenter abreptum, conjecturas conjecturis opponere, omnia ſus deque habere: ac incertum ac nutantem ſtupendum ædificium proprio ingenio excitatum rurſum deſtruere, quod paulò ante conſtruxeram,* pronuntiat. Teſtes me neglexiſſe locupletiſſimos, ex quibus validiſſimæ probationes deducuntur, & omnia conjecturis dediſſe: *ut quid nova nomina confingam, ſollicitè inveſtigans, ac quærens, quod jam inventum ac detectum, ante omnium ora oculóſque verſatur,* ex me interrogat. Tandem verò liberè fatetur, *quòd jucundiſſimo cuidam ſomnio ſibi potiùs quàm ſimillima videatur opinio mea, quam nulla prorſus ratione, nullo fundamento Lectoribus meis propinare contendam.* Additque: *Aquam contundis, mihi crede Reſchiane, ſi pro tuo arbitrio non ex Hiſtoriæ Criticæque artis decretis de Eccleſiarum Origine & antiquitate aliquid decernere audes.*

Non igitur ante Sæculi VI. finem Epiſcopum Sabionæ concedendum, aliarum in Germania Eccleſiarum exemplo docet. Et hinc nec Materninum admitti, nec S. Lucanum poſſe, exiſtimat:

in

in quibus aſſerendis *me ex Lacunis omnia hauſiſſe, & tùm fontes ac flumina præſtò ſint, aquam è pumice poſtulare. Perge porrò,* inquit, *Jovem etiam ipſum ea ratione ſuperaveris, ipſe enim ex proprio cerebro unam duntaxat Minervam produxit: Tu ex tuo multos nobis Epiſcopos inducis. quem fœtum ut foveas, ac inventioni inſervias, mirum eſt, quam multa comminiſcaris.* Arguit me inſuper quòd ſuppoſititiis & confictis actis Synodi Gradenſis fidem adhibuerim: *Noli eis fidere,* inquit, *cauſæ tuæ peſſimè conſulis, ſi eam tenebrionibus & nugivendulis committis:* Bellè omninò ſi hoc à me factum!

Lucanum porrò ſola Philippi Ferrarii authoritate nixum me inveniſſe, ſatìs mirari non poteſt. *Quid quæſo intereſt?* inquit *tali auctore, & nullo omnino auctore loqui, hæcne decent indefeſſum Antiquitatum Sabionenſium Scrutatorem, quemadmodum Epiſtola Nuncupatoria te ipſum appellas? Pudeat te Bollandinis Viris doctiſſimis objeciſſe, omni ferè litterario apparatu, Sacro, & profano ac præcipuè MSS. noſtris Codicibus deſtitutos eſſe. Neque enim decet in tanta rerum inopia, & mendicitate, paupertatem aliis Te objectare.* Tum Mabillonio nimium tribuit; ferè nihil autem Bartholomæo Tridentino. Aliqua rurſum in Actis D. Caſſiani, circa ejus docendi munus reprehendit, addito illiberali Epiphonemate: *Apage nugas! ſtomacho ſatìs valido fuerit, qui hæc concoquat. Ego certè ut quod ſentiam, liberè dicam, quid tandem ſit otio, & Litteris abuti, ſi hujusmodi portenta editis libris Lectoribus ſuis obtrudere non eſt, prorſus ignoro.* Denique argumenta ex Patribus malè mihi ceſſiſſe pronuntiat, ac Cultûs raritatem non vanum contra me argumentum eſſe arguit. *Tanti igitur,* ait, *aut beneficii, parùm adeò memorem dicemus Sabionenſem Eccleſiam, ut inſignem hunc ſuum Patronum tot nominibus colendum ingratiſſimè tamdiu neglexerit.* Et hæc ferè ſunt, quæ circa Conjecturas, de Epiſcopatu S. Caſſiani allata ſunt: quibus etiam gloriari ſe poſſe credit; pagina enim 45. ita concludit: *Nunc verò te ipſum Judicem appello rogóque, atque obteſtor, ut attento animo & à partium ſtudiis alieno perpendas, uter noſtrum rationem ducem rectiùs ſit ſecutus, uter ad veritatem propiùs acceſſerit, uter de ipſa Brixinenſi Eccleſia magis meritus ſit; an tu, qui falſis documentis, paralogiſmis, hariolationibus, fabulis, illius dignitatem ac præſtantiam tueri aggreſſus es, an ego, qui Veterum Scriptorum auctoritate & argumentis (quantum*

tum materiæ ratio patitur) firmiſſimis munitus, quæ revera geſta ſunt, eruere tentavi, quódque res ipſa fert libere edixi?

Neſcio ſanè, cur iſta Vir cæterà Doctiſſimus, & mihi aliàs nulla ratione inimicus acerbiorem in modum protulerit: offenſum ab amico haud crediderim. Sin autem Stylo hoc ſatìs acuminato ad rem altiùs, & quantùm fortaſſis etiam ultra Conjecturas fieri poteſt, ſuis etiam documentis roborandam, perficiendámque excitare me voluit, exemplô S. Præſulis mei Caſſiani incitatus excipere puncturas acutiſſimi hujus Styli quadam indolentia poſſum, dummodo hunc (quantum in antiquiſſimis licet) nobis vindicare queam. Et certè Documenta illa, quæ modò proferentur de utroque hoc S. Epiſcopo noſtro, forſitan diutiùs latuiſſent, niſi vehementiori quodam ariete concuſſa, & extimulata fuiſſet quorundam pietas, aut etiam indignatio; ut illos, quos meritò veneramur Antiſtites noſtros, ſeriò tandem defendere cogitaremus.

Cùm igitur Fundamentum Scriptionis Tartarottianæ facilè princeps, ac baſis omnium magìs præcipua ſit, Anonymi Mabilloniani Teſtimonium, quo S. Ingenuinum primum Sabionæ Epiſcopum facit, atque hinc Divi Caſſiani Epiſcopatum penitus excludere videatur: idémque author magni omninò à Viris ſummis Mabillonio, Pagio, Hanſizio, Meichelbekio & aliis ſit habitus; atque eapropter ejus aſſerta Scriptori Roboretano probationes validiſſimæ, monumenta ſæculi noſtri illuſtria, gravia, firma, & invicta, imò firmiſſima videantur; operæ pretium utique erit, indagare aliquando, num reapſe tam inconcuſſæ authoritatis ſit hic ſcriptor, ut nulla prorſus ratione ejus dicta convelli queant. Nullus enim, quod ſciam, data hactenus opera in id incubuit, ut hujus Anonymi Patriam, Tempus ſcriptionis, Locum, Carminum ſuorum argumenta, criſin aliorum, præſertim circa Sabionenſes Epiſcopos, penſiculatiùs examinaret. Recenſuit is nempe ordinem Epiſcoporum & Archiepiſcoporum Salisburgenſium tum Comprovincialium Ratisbonenſium, Friſingenſium, Patavienſium, ac denique Sabionenſium.

In Salisburgenſibus & Friſingenſibus, utpote primis, qui ſæculo VIIJ. (anno nimirum 717. & 730.) deceſſère Epiſcopis, errare

rare vix potuit ſæculi noni ſcriptor, & quidem Salisburgi vel in vicinia degens. At ſi in duabus antiquioribus ſedibus, Ratisbonenſi ſcilicet, & Paſſavienſi, errârit, tunc utique pronum eſt, errare potuiſſe in antiquiori pariter Eccleſia Sabionenſi. Errâſſe autem, in utriusque Epiſcoporum Elencho monſtrabitur. Hoc ſemel præſtito docendum ulteriùs, nobis monumenta Cultûs ſupereſſe, non poſt ſæculum undecimum demum enata, ſed bonâ fortunâ jam octavo, nono & decimo, & quidem legitima prorſùs oſtendi poſſe. Et quamvìs documenta hæc, Chartæ nempe Pagenſes, & Diplomata, tenore ſuo non loquantur S. Caſſianum ùt Epiſcopum, utrum nihilominùs tamen hoc titulo rite cultus fuerit, ac coli impoſterùm poſſit à Sabionenſi ac Brixinenſi Ecoleſia, diſcutietur. cúmque monumenta hæc rationes ſuggerant, minimè ſpernendas, quibus veriſimile ſit, primum Sabionæ Epiſcopum eſſe potuiſſe S. Caſſianum Imolenſem Martyrem, qui circa finem fortaſſis Sæculi III. paſſus ſit, illo ſaltem tempore aptam recipiendis Chriſti ſacris hanc regionem fuiſſe, conjecturis non ineptis adhuc docendum erit. Neque Sæculo IV. nobis defuiſſe Paſtorem, juxta S. Ambroſii Teſtimonium, ab eruditiſſimo Antagoniſta ſatìs improbari poſſe, credibile fiet: aut removendus Sæculo V. Lucanus, cùm præcipuè eximium monumentum propagatæ jam dudum fidei in Valle Oenana monſtari poſſit. Longè minùs verò reſpuendus videtur Sæculo VI. Anonymus quidam Eccleſiæ Brennenſi à Francis impoſitus, & ſic fortè etiam Materninus quoque tolerari poterit: quæ omnia tamen, licèt certis documentis pro temporum illorum rationibus univerſim firmari non poſſint; Fabulis nihilominùs, portentis, fictionibus, ſomniis, commentis, paralogiſmis, hariolationibus, & falſis documentis accenſenda non putamus: & ſolidis ſaltem ac primigeniis documentis circa Cultum S. Caſſiani Martyris, tanquam Sabionenſis Epiſcopi haudquaquam deſtitui Sabionenſem, ſeu Brixinenſem, credimus Eccleſiam, ac ſaltem poſſeſſionem cultûs ejusdem vetuſtiſſimi inſtrumentis legitimis probatam fuiſſe, atque ſic in illo etiam in poſterum jure pergendum eſſe, confidimus.

* * *

CAPUT II.

Anouymi Opuſculum integrum cum uotis Mabillonii aſſertur.

Incerti Poëtæ

„ Verſus de ordine Comprovincialium Pontificum.

I.

Epiſcopi Salisburgenſes.

„ 1. Dicta Juvavo fuit quondam Metropolis iſta
„ 2. quam primo fundans Hrodberto rexerat almus.
„ 3. poſt tunc Vitalis Antiſtes rexit eandem
„ 4. ipſius inde Flobargiſus, qui eſt fultus honoris
„ 5. quartus Joannes fuerat ſedémque regendo
„ 6. Advena Virgilius ſtatuens quàmplurima quintus
„ 7. multò plura gerens Arno ſuper omnia ſextus
„ 8. ſeptimus hinc ſucceſſit Adalram paſtor opimus
„ 9. tempora namque ſuo ſtatuens quàmplurima pulchrè
„ 10. octavus veniens Liuphramus præſul ovilis
„ 11. Officium Domini renovans formoſiùs æquè.

II.

Archiepiſcopi Salisburgenſes.

„ 1. Hic locus ùt fertur dudum Juvavo vocatus
„ 2. Magnus honore fuit, ut modò ſigna probant.
„ 3. Tempore, quo gentem Hrodbertus Epiſcopus iſtam
„ 4. Rexerat, & ſtruxit ſedis ovile ſacrum hîc.
„ 5. In qua Pontifices multos poſt ritè ſedentes
„ 6. Arn ſucceſſit ovans Rector ovile regens

„7. Quem

Digitized by Google

,, 7. Quem Carolus Princeps regni ſuperauxit honore
,, 8. Archi-Sacerdotis dignior ut fieret.
,, 9. Quem Leo Papa ſui veſte veſtivit honoris
,, 10. & privilegia dans mox ſolidavit eum
,, 11. ut Regionis apex, ac ſummus Epiſcopus eſſet
,, 12. Urbsque hæc Metropolis tempus in omne foret.
,, 13. Huic ſucceſſit Adalramus Antiſtes amatus,
,, 14. Quem Papa Eugenius compſit honore pio
,, 15. Poſt hunc ſucceſſit Liuphramus ritè ſacerdos
,, 16. functus Apoſtolici munere Gregorii
,, 17. Nam velut Archi-Sacerdotes in ſede manentes
,, 18. legitimè functi Numine Apoſtolico
,, 19. Plurima diverſis ſtruxerunt ſtemmata rebus
,, 20. ut vice quisque ſua optimè prævaluit
,, 21. Sic reliquos Succeſſores in ſede futuros
,, 22. talia vota ſimul ſemper habere decet
,, 23. Cunctis præteritis Patribus ſimul atque futuris
,, 24. donet in arce Poli gaudia magna Deus
,, 25. Et veniam ſcelerum ſubjectis præſtet eorum,
,, 26. & gaudere ſimul in requie jugiter.

III.

Epiſcopi Ratisponenſes.

,, 1. Hic Reginenſis Sedis vocitatur ab urbe
,, 2. quam rexit primo Wicterpus Epiſcopus ille
,, 3. Poſt alius Cauvipaldus qui nomine dictus
,, 4. tertius Sigiricus erat ſacratus ad aulam
,, 5. Poſt hunc jam fuerat Sindbertus in ordine quartus
,, 6. Quintus Adalwinus fuerat, ſedémque regendo
,, 7. Poſt hunc Pauturicus tenuit pius optime ſedem
,, 8. Erchanfredus ovans ſequitur hinc Paſtor opimus.

IV.

Epiſcopi Friſingenſes.

,, 1. Friſingenſis enim Sedis hæc aula vocata eſt
,, 2. Corbinianus ovans, quam primus rexerat almus

„ 3. Inde Dei famulus Ermperhtus nomine ſedit
„ 4. tertius hinc Joſeph præclarus nempe Magiſter
„ 5. Arpeo quartus erat facundo famine fretus
„ 6. Quintus Apoſtolicam tenuit pius Atto Cathedram,
„ 7. Poſt hunc Hitto Pater ſedem jam rexerat almus.
„ 8. Ex hinc ſucceſſit Erchenpehrt Paſtor amatus
„ 9. Ecce pius ſedem præſens nunc Anno gubernat.

V.

Patavienſes Epiſcopi.

„ 1. Patavienſi ergo ſedi eſt hæc aula dicata
„ 2. quam tenuit primo Vivolus jam ipſe ſacerdos
„ 3. Nomine poſt illum Antiſtes mox ritè Beatus,
„ 4. tertius eſt etenim Sidonius auctus honore
„ 5. Anthelmus quartus meritis & dogmate magnus
„ 6. hinc Wiſuricus ovans ſedis conſcendit honorem
„ 7. nuper Waldricus felix Vir in ordine ſextus
„ 8. nunc ſedet Antiſtes magnus ill. * ſedis honorem.

* Urolfus.

VI.

Epiſcopi Sabionenſes.

„ 1. Hæc ſedis Vallis-Noricanæ dicta Sebana
„ 2. Ingenuinus habens primo quam rexerat almus
„ 3. Maſtulo ſecundus, ſeditque regendô Cathedram
„ 4. poſt illum Paſtor ſervavit Ovile Johannes
„ 5. Præſul Alimus erat meritis qui & dogmate quartus
„ 6. Quintus honore ſedet ill. * fultus eodem.

* Heinricus.

VII.

Epitaphium Virgilii Epiſcopi Salzburgenſis.

„ 1. Hic Pater & Paſtor, humilis, doctúsque Sacerdos
„ 2. Corpore Virgilius pauſat, quem Hibernica tellus

„ 3. Diſpo-

„ 3. Diſponente Deo partes direxit in iſtas
„ 4. Quique regebat ovàns præſentis culmine ſedis
„ 5. fermè quater denos caris cum fratribus annos
„ 6. à quibus ille & amatus erat, piè quos & amavit
„ 7. interim & erexit pulcro molimine multa
„ 8. templa, loco quædam nunc quæ cernuntur in iſto
„ 9. Inſuper & miſeris largus ſimul omnibus aptus
„ 10. Pro quo, quisque legis verſus, orare memento.

VIII.

Epitaphium Arnonis Archiepiſcopi Salzburgenſis.

„ 1. Quisque velis Cryptam ſubſiſtens noſſe viator
„ 2. ſcito, quod ipſe mihi vivus hanc Arno peregi
„ 3. qui fueram Rector præſentis regmine ſedis
„ 4. ac opibus multis, multóque potitus honore
„ 5. nunc hic omiſſis cunctis mea membra quieſcunt
„ 6. te rogo, nunc Dominum precibus pulſare memento
„ 7. ut mihi det veniam ſcelerum quæcunque patravi
„ 8. quatenus æternam mereas habitare quietem.

IX.

Epitaphium Adelrami Archiepiſcopi Salzburgenſis.

„ 1. Sum, * quod es, ipſe fui, tu nunc perpende Viator
„ 2. Communem & mecum commiſereſce vicem
„ 3. Nunc vivis, ſpiras, & agis fortaſſe quod optas
„ 4. atque tuis mundus uſibus ipſe patet.
„ 5. Ad votum famulantur opes, elementáque cedunt
„ 6. ac rerum ſervit machina trina tibi.
„ 7. uſus & his ego, dum præſens mihi vita maneret,
„ 8. nomina & hæc habui ſubpeditante Deo.
„ 9. at cum falcem vultum fortuna recepit.
„ 10. me mea tunc modo jam non habuiſſe liquet
„ 11. Amiſi, ſed non mea nunc, quæ ſunt mea mecum
„ 12. ſentio, pro ſimili conditione geme.

* legatur *Tu.*

,, 13. Flecte etiam precibus pro me jam jámque Tonantem
,, 14. atque animæ veniam quæſo precare meæ
,, 15. Dicor Adalramus fueram qui Rector ovilis
,, 16. præſentis Domini iſtius Eccleſiæ.
,, 17. Corpus Adalrami, quo Præſule floruit urbs hæc,
,, 18. hac ſub mole jacet, tu rape Chriſte animam.

X.

Ejusdem aliud.

,, 1. Si quis non valeas præſens cum voce referre
,, 2. qualia jam fuerant pontificis merita
,, 3. Solve tamen gemitus more compunctus amici
,, 4. quod citò migravit tantus amore Pater.
,, 5. Nomine Adalramus, ſedem qui rexerat iſtam
,, 6. cujus in hac aula membra ſepulta jacent
,, 7. Strenuus ipſe miniſterio ſuper omnia ſacro
,, 8. ut decuit, fuerat per tria luſtra vigens
,, 9. Creditur hinc animam gaudere per alta polorum
,, 10. quo Dominus meritis prœmia retribuit
,, 11. Pro qua, qui recitas verſus, hic pectore puro
,, 12. da Domine Clemens huic animæ requiem
,, 13. Ut cùm verificet ſalpinx hanc ultima carne
,, 14. integrum facias gaudia bina frui.

XI.

Epitaphium Luiphrami Archi-Epiſcopi Salzburgenſis.

,, 1. Palma Sacerdotum rerum Doctrina bonarum
,, 2. Eccleſiæ Princeps ſidus in orbe micans
,, 3. O Luiphrame Pater inopum, tutor miſerorum
,, 4. omnia tu peragis, juſſerat ùt Dominus.
,, 5. Te Paſtore lupus vacuum detraxerat alvum
,, 6. latrandi ſciolos nutrieras catulos
,, 7. Et quia cuncta placent Chriſto tua geſta ſereno
,, 8. ventilat en ſordes ut ſuus eſſe queas.
,, 9. Caſtigat ſobolem, recepit quam Rector in aulam
,, 10. pulveris ut maculas diſcutiat pedibus

,, 11. Cor-

Digitized by Google

„11. Corpus inane cadit, melior pars inde reſurgit
„12. nunc æterna vigent & moritura ruunt.
„13. Spiritus exhilarat vitiorum pugna recedit.
„14. non virtus animæ perficietur ita.
„15. Gaudia ſic etiam rutilant, peccata peribunt
„16. triſtia deſpicias proſpera fata videns.
„17. O quàm dulce fiet regnum, quod conſtat in ævum
„18. quod ſine peſte manet & bona cuncta tenet
„19. In quo nobilium turmæ lætantur avorum
„20. & cupiunt patriam nos retinere ſuam
„21. ac ſimul & ſanctæ Matres caſtæque ſorores
„22. optantes placidam nos remeare viam
„23. Inſuper omnipotens cunctæ bonitatis origo
„24. nos properare jubet & pietate juvat.
„25. Qui te perpetuò ſanum deducat ad illum
„26. ut laudes Chriſti nomen in arce poli.

XII.

De Ariete Epiſcopo.

„ 1. Nobilis hanc Aries cognomine dictus avito
„ 2. dignanter chartam perlegat ore ſacro
„ 3. Jure Pater tali vocitaris nomine ſancte
„ 4. caularum Domini, qui benè paſcis oves.
„ 5. Dux Aries gregis ad vitam cui nemo reſiſtit
„ 6. factus apoſtolico paſtor honore cluis.
„ 7. Hinc Ælim locus, & biſſenno fonte redundat
„ 8. & palmis ſeptem frugifer eſt decies.
„ 9. Quapropter Paſtor, Præſul, Pater, atque Sacerdos
„10. in prece, quam fundes, ſis memor oro mei
„11. Advena ſim licèt, exilis viliſſimus exors,
„12. ſubleſtus veſtris ſum tamen obſequiis.
„13. Inde precor, ſiquid poſſum, mandare memento,
„14. quod prompto faciam pectore ſervitii,
„15. Certiùs ut credat, precor indulgere velitis.
„16. Uſus in noſtros, ut ſalis exiguum.
„17. Sal ſiquidem terram debet condire fidelem
„18. Fiat, ut à vobis id quoque quæſo mihi.

„19. Cor-

Digitized by Google

„19. Corporeum ſal ſignificat rem quam puto juſtam
„20. quod præſtare Pater ſupplico care velis.
„21. Tu ſal namque potens ſalis impertire ſaporem
„22. Eſcæ ne noſtræ ſint nimis inſipidæ.
„23. quæ dignanter agens in ſæcula ſine fine ullo.
„24. perpetua Anteſtis obſecro pace vale.

XIII. HL. Rex.

„ 1. Immenſas grates volumus tibi dicere Baldo
„ 2. Quod tua magna fides ſic inconcuſſa moratur
„ 3. nobiſcum dictis firmâſti, ut tempore priſco.
„ 4. namque animum noſtrum pia lætificant tua ſcripta
„ 5. quæ nobis ſæpè mittis, hortaris & optime nobis
„ 6. & bonitate tua pandis in amore benigno
„ 7. quæ tua ſic nobis mittit ſolertia magna
„ 8. nunc verò nuper miſiſti talia ſcripta
„ 9. non potuit totum noſter quod noſcere ſenſus
„10. eſt quia per totum contextum in ænigmate ſirmè
„11. Conſcius ipſe tuis quid opus addiſcere verbis
„12. hoc tamen oramus, ut nobis pandas apertè.

Adnotationes.

„I. Ex præmiſſis verſibus, quos ſæculo IX. ſcriptos fuiſſe conſtat, „corrigendi ſunt vulgati indices Epiſcoporum metropolis „Salzburgenſis, & primò quidem ex claſſe Salzburgenſium „Epiſcoporum expungendi ſunt, Anſalogus, Savolus, & „Ezius, qui poſt Vitalem apud Hundium recenſentur, dein- „de poſt Virgilium Bertricus quoque removendus.

„II. Secundò multum diſcriminis eſt item in Catalogo vulgato „Epiſcoporum Ratisponenſium, quorum duplex eſt claſſis, „una Epiſcoporum, qui quaſi extra ordinem eam Eccleſiam „rexerunt octo numero, nempe: S. Lupus, Ratharius, S. „Rudpertus, S. Emeramus, S. Erhardus, Albertus, Veli- „pholægus, Victerbus, & S. Winifridus, ſeu Bonifacius. „Altera Claſſis eſt Epiſcoporum ordinariorum, quorum pri- „mus S. Gariboldus nominatur hìc Cauvibaldus ſeu Gauvi- „baldus appellatus.

„III.

Digitized by Google

„III. Nulla eſt in Friſingenſibus, niſi penes nominum lectionem „diverſitas, at in Batavienſibus magna eſt, nam ante Vi„volum, ſeu Vivilonem qui hic primus habetur, numeran„tur apud Hundium duodecim Epiſcopi, & poſt Vivolum „Beatus deſideratur.

„In ordine Sabionenſium Antiſtitum vulgò Seben, quo„rum ſedes poſtea Brixinum migravit, ante Ingenuinum po„nitur S. Caſſianus & poſt Ingenuinum undecim alii ante „Maſtulonem, qui in his verſibus ſecundus eſt.

„Quid ſit Aries Epiſcopus, fictum an verum nomen, quiſ„ve locus Ælim, ubi ejus ſedes nobis incompertum. Alie„nigenam ſe dicit Poëta & forſan Anglus erat, atqui Aries „Anglica lingua Arame vocatur, an is Adalramus Archie„piſcopus Salzburgenſis? fateor me hærere, maximè cùm „vocabulum Ælim neſcio quo pacto Salzburgo tribui poſſit. „Eadem fermè difficultas de Baldone Epiſcopo, ad quem „ſequentes verſus, is videretur eſſe Bardo Moguntinus ſæ„culo XI. Antiſtes, niſi Codicis obſtaret antiquitas. Itém„que Hludovici Regis nomen verſibus inſcriptum, quod de „Ludovico Germaniæ Rege interpretor, atque ob hanc ra„tionem non poſſunt hi verſus convenire Waldoni Epiſco„po Baſileenſi, qui ante Carolum M. vivere deſiit: ſed hæc „non ſunt tanti, ut iis diutiùs immoremur.“

* *

CAPUT III.

Hujus Poëtæ Patria Scriptioniſque tempus, ac locus examinantur.

De Authore horum Carminum ex aliis monumentis litteratorum hominum conſtat nihil, neque quiſpiam hactenus, quod ſciam, data opera hunc libellum excutere integrum aggreſſus eſt. Rem igitur non ingratam, & fortè rebus meis utilem credidi, ſi ſingula penſiculatiùs diſquiram. Ex ipſis porrò

Mabil-

Mabillonii annotationibus ad hos verſus, vel præfatione tomi Edit. primæ Anecdotorum, cui hos inſerit Mabillonius, ſive ex ipſo denique Itinere Germanico, quo nempe loco in Germania illos invenit, nihil omnino elicere potui: ſed in Annalium Tom. 2. Edit. Luccenſ. p. 47. veterrimi hujus annorum octingentorum Poëtæ verſus à ſe ex Codice Ratisbonenſis Monaſterii S. Emerami deſcriptos commemorat, nihil addendo, an ſibi ex authoribus aut monumentis aliis quidquam de hoc Poëta aliunde conſtiterit.

Si igitur de Patria nobis ſermo ſit, Carmine XII. verſu 11. advenam ſe vocat. Advenam quoque S. Virgilium, atque hunc ſolum vocat inter reliquos Epiſcopos, utut multos extraneos reſpectu Norici ſit complexus: de S. Virgilio etenim canit Carmine VII. v. 3. *quem hibernia tellus diſponente Deo partes direxit in iſtas.* Jámque Idem Mabillonius in annotatione VI. Anglum ſuſpicatus eſt, eo quòd Aries lingua Anglica Aramme vocetur: *An is Adalramus*, ait, *Archiepiſcopus Salisburgenſis? fateor me hærere maximè cum vocabulum Ælim neſcio, quo pacto Salisburgo tribui poſſit.* Non eſt autem, quòd de vocabulo Ælim ſubdubitet Vir magnus, hoc certè Salisburgum denotat fide lapidis Gruteriani f. 2654. ita expreſſi:

IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEVERI.
PII. PERTINACIS. AVG. ARAB. ADIAB.
PARTHICI. MAX. ET. IMP. CAES
M. AVREL. ANTONINI. AVG. PARTHICI
MAXIMI. COL. HADR. IVVAV. D. D.

Confirmat Coloniæ dignitatem etiam Lapis Burghuſianus, ùt ritè clariſſimus Hanſizius monet, & iterum alius non in Monaſterio Lampach, ut Reineſius credidit, ſed in Monaſterio Monſec, quòd Vir quidam litteratus, qui nuper eundem inſpexit, me edocuit, ſuperſtes his litteris:

L. CORTINIVS. L. F. MARTIALIS
DEC. IVVAV. II. V. I. D. SIBI. ET. PECC
IAE. LATINAE. VXORI. V. F.

Magi-

Magiſtratum enim Duum-Virorum proprium coloniis fuiſſe viri dicti monent.

Ælium enim Hadrianum vocatum eſſe, nemo niſi in hiſtoria Romana peregrinus neſcit: accidit eadem ſors quoad Conditoris nomen Juvaviæ, quæ Jeroſolymis, utpote quæ poſt everſionem ſuam à Veſpaſiano reſtaurata, & Colonia deducta Colonia Hælia Capitolina audiit.

Qua verò ratione etiam verſus reliqui hujus Poëtæ Salisburgo conveniant, totúmque carmen palam ad Adalramum alludat, pluribus monſtrat idem Cl. Hanſizius T. II. Germ. ſacr. in hoc ipſo Alramo p. 126. ex quibus proin hunc Anonymum Britannum fuiſſe hoc eſt Anglum, Scotum, aut Hibernum, valde fit veriſimile.

De Tempore quo verſiculos hos concinnavit hic vates, pariter nihil continent monumenta alia; verſus igitur ipſius, quibus Præſules Synchronos colit, conſulendi ſunt.

Carmine 1. verſu 10. & 11. v. 15. Luiphrami meminit, quem electum anno 836. & mortuum annô 859. Hanſizius docet: huic autem ſuperſtitem fuiſſe Poëtam, Epitaphium eidem Præſuli ab hoc Anonymo adornatum, & ſupra carmine XI. allatum commonſtrat.

Inter Ratisponenſes Erchanfredum ultimum recenſet. Succeſſit is teſte Hundio Batharico Epiſcopo anno 842. obiítque anno ordinationis ſuæ decimo, anno nimirum 852. ut p. 127. Edit. Ratiſpon. idem Author refert. Friſingenſium ultimus eſt ipſi Erchanbertus cujus annum Electionis ſtatuit Meichelbekius T. I. p. 119. annum æræ vulgaris 835. obitûs verò p. 127. annum 853. aut 854. quod diſcrimen nos non moratur. Poſt Waldricum Paſſavienſem Præſulem nuper, ùt ait, electum Anonymum recenſet, quem in margine Urolſum vocat Mabillonius: is teſte Hanſizio p. 146. Eccleſiam Metropolitanam Laureacenſem jam annô 805. rexerat, obiítque inter annum 836. & 838. ut idem p. 152. commemorat. Dubitandum tamen valde eſt, an non loco Urolſi intelligendus ſit Hatto, qui (ùt Hanſizius p. 152.) Urolfo in Hunnis & Sclavis ad Chriſtum vocandis adlaborante ſedem Paſſavienſem capeſſivit, & anno 806. & 807. Judicio Oetingano Salisburgenſi interfuit, obiítque annô 817.

Sabionenſium Epiſcopos tantum quinque ſuo Carmine celebrat, quartum Alimum vocat, quintum non nominat, Mabillonio tamen & noſtris catalogis omnibus Henricus eſt, hunc Synodo Salisburgenſi, ſub annum 807. celebrato, ùt vult Welſerus & Hanſizius, interfuiſſe ſub Arnone credimus.

Poſt hunc Archipræſulem enim nominantur Atto, Adalwicus, Einricus, Hatto: fuit autem Atto teſte Meichelbekio p. 91. illo tempore Friſingenſium & Hatto, ùt Hanſizius p. 152. vult Patavienſium, Adalwinus teſtibus eodem Meichelbekio & Hundio p. 126. & 163. Ratisponenſium Præſul: quis quartum Comprovincialem Epiſcopum in Concilio Metropolitano Einricum alium quàm noſtrum Henricum Sabionenſem Antiſtitem fuiſſe, Aventino etiam & Hundio accedentibus, negabit? Eundémque cenſeo, qui anno Chriſti 806. cauſæ cuidam dijudicandæ Oettingæ cum Arnone Archiepiſcopo, Adalwino, & Hattone Epiſcopis interfuit, Einricus nomine: his actis inſertus apud Meichelbek. P. 2. Inſtrumentaria n. 122.

Poſt Epiſcoporum ordines Epitaphia ſcripſit hic ſacer Vates n. 7. Virgilii 8. Arnonis 9. & 10. Adalrami 11. denique Liuphrami omnium (ſolo primo excepto) Juvavenſium Archipræſulum, quorum ultimus Liuphramus, ſeu Luiphrammus, ùt illum vocat p. 32. Hanſizius a. 859. è vivis exceſſit.

Huic igitur, ut diximus, ſuperſtes fuit Anonymus, vixit ergo ultra medium ſæculi noni teſtibus invictis his carminibus ſuis.

Quid autem ſibi carmine ultimo 13. cum HL. [ita illo tempore Hludovicorum Impp. ac Regum nomina abbreviata ſcripta ſunt in diplomatibus] hoc eſt Ludovico Germaniæ Rege, aut cum neſcio, quo Waldone ſcriptore Ænigmatographo fuerit negotii, idipſum quoque ænigma eſt. Cæterum Ludovicus Germanicus annô æræ Chriſtianæ 875. obiit, ut adeò conjectura Mabillonii per litteras HL. Hludovicum Germaniæ Regem intelligi, firmiſſima ſit. Sicuti incertiſſimum, quo tempore hoc carmen ſcripſerit hic Poëta, aut quid ſibi hoc ipſo voluerit.

Jam verò de loco, ubi ſcripſerit, res pariter non ſatìs adhuedum perſpecta eſt; ſi enim Codicem hunc MS. Mabillonius Salisburgi inveniſſet, opinari forſan nobis ex diverſis ejusdem verſi-

verſibus liceret, eundem Juvaviæ manum pangendis carminibus adhibuiſſe. uti ſunt, ubi eorum Epitaphia ita recitat, ac ſi Salisburgi conſcripta fuiſſent; verùm cùm Epiſcopos loquentes induxerit, aut Epitaphia loco aptârit, inde difficulter quid eruendum erit: aliter tamen ſentiendum videtur, ubi in Epiſcopis Salzburgenſibus carm. 1. verſ. 1. Juvaviam vocat *Metròpolim iſtam* carm. 2. v. 1. eadem Urbs illi ſcribitur, *hic locus* v. 3. *gens iſta* v. 12. *urbs hæc*, quæ omnia ſic efferendi nulla fuiſſet neceſſitas niſi hæc carmina Salisburgi condidiſſet; videtur enim munere quodam functus fuiſſe apud Adalramum ejus loci Archiepiſcopum: nam Carmine 12. v. 11. ita canit.

Advena ſim licèt, exilis, viliſſimus, exors,
ſubleſtus veſtris ſum tamen obſequiis.
Inde precor, ſi quid poſſum, mandare memento
quod prompto faciam pectore ſervitii.

Subleſtum enim *infirmum* denotare vult Ducangius Edit. Francof. p. 1091.

In Servitiis igitur Adalrami Archiepiſcopi aut ſenio, aut laboribûs fractus, ſal rogâſſe, veriſimile fit, nempe, ut gratis illi daretur, non ut mitteretur: multùm enim à Salisburgo remotum vixiſſe vix perſuaderi quemquam poſſe crediderim. Ipſe quoque Cl. Hanſizius in loco aliquo Diœceſis Salisburgenſis hos concinnâſſe verſiculos T. I. p. 99. opinatur.

Neque multùm à vero aberraverit, qui illum de ſolis Archiepiſcopis his aliquam habuiſſe notitiam dixerit, de reliquis enim Epiſcopis comprovincialibus ultrà eorum nomina imò neque hæc ordine ſuo, vix ſciviſſe aliquid, mox planum fiet: quod iterum, cum ſolis rebus Salisburgenſibus inſtructus ritè videatur, vel in urbe hac, vel ſaltem vicinia à ſervitiis fuiſſe alicui Præſulum arguit, Adalramo nimirum, nam etiam hunc ſolum duplici Epitaphio & Supplici libello coluit.

CAPUT IV.

Utì & Argumentum horum Carminum, cum erroribus in illo.

Si contenta hujus libelli percurramus, Carmine 1. octo Epiſcopos ordine ſuo recenſet à S. Hrodperto nimirum, qui anno æræ vulgaris 717. deceſſerat, ad Luiphramum usque, qui, ùt diximus, anno 859. ad plures abiit. Pontifices igitur per ſeſqui ſæculum ſolo ferè nomine celebravit.

Carmine autem ſequenti II. Archiepiſcopos cum adnotatione aliqua producit, uti ſunt Arnonem à Carolo M. & Leone Pontifice Archiſacerdotii honore auctum fuiſſe, quod anno 798. factum eſſe p. 106. docet Hanſizius: Adalramum ab Eugenio eodem pallii honore decoratum, utpote, qui teſte eodem anno 821. Arnoni ſucceſſit: hunc excepit anno 836. Luiphramus pariter, ut refert, à Gregorio pallio honoratus. Coævus igitur his, & ſaltem Adalramo familiaris fuit hic Anonymus. Plura de his ipſis, quos diximus, tribus Archipræſulibus in Epitaphiis quoque affert ut de Arnone carmine 8. Adalramo 9. & 10. Luiphramo 11. Et Adalramum citò tanquam patrem ereptum conqueritur, cùm tamen is per tria luſtra ùt loquitur, præfuerit, quod iterum eundem ſibi reliquis chariorem fuiſſe, ſuſpicione haud vacat; non enim ita de reliquis loquitur: ſolum Virgilium Patrem quoque compellat: (incertum an communis Patriæ, an morum ſanctitatis ratione) qui charos fratres & amaverit & ab his amatus fuerit, & anno ſalutis 784. deceſſiſſe.

Ipſos denique Epiſcopos comprovinciales in gratiam Archipræſulum Salisburgenſium (quibus ut Metropolitis parebant 4. ſedes allatæ) compoſuiſſe, illud argumento eſt, quod de aliis Epiſcopis, aut rebus nihil omnino afferat.

Carmine igitur 3. Epiſcopos Ratisbonenſes ſolo nomine, & hoc ordine canit: Wictperum, Cauvipaldum, Sigirum, Sindbertum, Adalwinum, Bauturicum, Erchanfildum.

In his

In his Epiſcopis deſiderari illos, qui extra ordinem hanc Eccleſiam rexêre, nempe S. Lupum, Ratharium, S. Rupertum, S. Emeramum, S. Erhardum, Albertum, S. Velipholœgum, Viterpum, & S. Bonifacium, in adnotatione ſecunda advertit, ùt audivimus, Mabillonius: ex quibus tamen Victerpum à Mabillonio inter abſentes adductum, hic Anonymus celebrat.

Cæterùm cùm ex actis certis, ùt infrà videbimus, Emeramus ad Ratisbonenſes citrà dubium pertineat, hunc omiſſum jure conqueri poſſum. Conſtantinum inſuper inter Simpertum & Adalwinum medium omittere non auſim ſi illi ſibi conſtent, qui ſepultum apud S. Emeramum memorant. Quis demum circa Lupum & Ratharium nobis ſenſus ſit, brevì audiemus.

Carmine quarto Friſingenſes omnium recentiſſimos commemorat, qui etiam ſinguli iterum ad S. Bonifacii tempora pertinent; niſi quòd D. Corbinianus anno priori, nempe anno Chriſti 730. ad Superos abierit, antequam idem Apoſtolus Germaniæ Bonifacius anno 731. in Bajoariam veniſſet.

Carmine quinto Paſſavienſes cantat Epiſcopos, Vivolum, Beatum, Sidonium, Anthelmum, Wiſuricum, Waldricum, & Anonymum, quem Urolfum vult Mabillonius. Non moror hìc, quòd primus ex his à Summo Pontifice conſecratus fuerit in Archipræſulem Laureacenſem: & à S. Bonifacio dein confirmatus fuerit in Patavienſi Cathedra. Incipiunt igitur & hi Epiſcopi à S. Bonifacii temporibus; num verò primi hi ſint, ut ferunt numeri apud Anonymum, paulò poſt videbimus.

Tandem Carmine 6. Sabionenſes enumerat Præſules, primum S. Ingenuinum, Maſtulonem ſecundum, tum Joannem, Alimum dein quartum, & quintum Anonymum, quem ritè Mabillonius Henricum vocavit, quemque Judicio Oetingano annò 806. Synodóque Saliſburgenſi anno 807. interfuiſſe diximus. Sed cur per dimidium ferè ſæculum reliquum, quo vixit hic Anonymus, cœteros omittit præſules?

Cur à S. Ingenuino, qui libello ſchiſmaticorum anno 591. ſubſcripſit, per duo iterum ſæcula tantùm quatuor admittit Pontifices? an ſinguli 40. aut 50. annis huic præfuerunt Eccleſiæ? an vacaſſe ſedem per complura intervalla dicendum? hærere videtur Mabillonius, & nihil certi ſtatuere, uti illis videtur, qui hoc tantùm

tantùm (ut ego olim) ejus Opus luſtrârunt: alibi enim, in Annalibus nempe, ut audiemus, corrigendum Hundii Catalogum circa hujus Sedis antiſtites diſertè ſcribit: id enimverò, bonâ tanti viri veniâ dixerim, nulla prorſus ratione capio, Anonymus hoc dicit, extraneus, res ſæculi tantùm unius, & vix ultrà complexus: imò extrà Salisburgenſes Paſtores circa cæteros ſolis nominibus contentus, & exceptis Salisburgenſibus nullibi ultra D. Bonifacii tempora progreſſus? hic Epiſcopos duorum ſæculorum quatuor duntaxat fuiſſe, à D. Ingenuino numeris additis affirmet? hic præferatur tot Scriptoribus Boicis notæ etiam optimæ, Hundio, Gewoldo, Velſero, Brunnero, Adlzreitero, qui etiam tabularia luſtrârunt? hic noſtris Catalogis omnibus imò monumentis etiam, ùt videbimus, tum noſtris, tum peregrinis? Scriptor, qui ne nomina quidem ad ætatem usque ſuam, nempe ad annum circiter 859. producit, ſed jam in Henrico ad Sæculi noni initium ceſſat, & ſic dimidium ferè in noſtris omittit ſæculum, contra quàm in aliis omnino Epiſcopatibus fecerat: cùm tamen hoc ipſo ſæculo unus & alter monumentis ipſis, & non Catalogis tantùm huic ſedi præfuiſſe monſtrari poſſit?

CAPUT V.

Criſis de his aliorum, & noſtra.

Quid Vir præſtans primus eorundem Carminum inventor, Editórque Mabillonius de his ſentiat, paulò antè audivimus, corrigendos nempe Metropolis Salisburgenſis & Cathedralis Paſſavienſis Catalogos, Ratisbonenſium extra ordinem Præſules omiſſos, Friſingenſes verò ritè ſe habere monet, de loco Ælim & Baldone Epiſcopo hæret, de Sabionenſibus verò affert pauca & decidit nihil. In Annalibus tamen ſuis T. II. ad annum 738. num. 43. & ad annum 770. n. 29. contendit ſecundùm hunc catalogum noſtros eſſe emendandos indices. Pagius in Critica Baronii ad annum 638. n. 9. *nihil nos hoc monumento* (inquit) *habemus antiquius de Epiſcopis Metropoli Salisburgenſi ſubditis.*

Inſu-

Inſupérque Ordinem Friſingenſium Præſulum Poëtam Synchronum, qui ſub Arnone octavo inter hos Epiſcopos vixit, optimè explicare ait Meichelbekius Hiſt. Friſ. T. 1. p. 136.

Opuſculum ſæpiùs commendatum allegat Cl. Hanſizius T. 1. p. 128. Germ. Sacræ: *Pagius aureum vocat, & Eruditi omnes maximi faciunt, ob certum ordinem primorum in Bojis Epiſcoporum denique detectum.* Idem pariter T. 2. p. 123. eundem vocat *Poëtam Synchronum.*

Advertimus ex his, ac prioribus, Viros doctos pretium habere huic Anonymo non modicum, eò quòd *Synchronus* fuerit Epiſcopis Boicis poſt D. Bonifacium inſtitutis: quòd inſuper ritè Salisburgenſes Præſules retulerit, ad quos etiam ſua ſcripta direxit, coævos ac proximos, præcipuè autem etiam Friſingenſes ordine ac ritè dederit.

Verùm ùt video, quoad òmnia ac ſingula non excuſſerunt Mabillonii verſus hi viri aliàs doctiſſimi: quod ſtatim patebit, ſi quæ in examine noſtro trutinavimus, hìc compendiô demus.

Et imprimìs quidem advenam fuiſſe, & probabiliter ex Britania docuimus: dein ſcripſiſſe certò circa, ac paulò poſt medium ſæculi 9. monſtravimus.

Nec ineptè, ùt ſpes eſt, eundem Salisburgi aut in vicinia manum tabulæ admoviſſe, fortè in ſervitiis Adalrami Archiepiſcopi, notatum fuit: Salisburgenſes præcipuè Archipræſules exacto ordine, unà cum quibuſdam de iisdem notitiis, recitâſſe, certum eſt.

Comprovincialium autem nomina attuliſſe non ubique omnia, nec ubique integra, Epiſcopóſque extra ordinem Regionarios nempe, Viróſque Apoſtolicos omiſiſſe ad unum omnes, pluribus nec perfunctoriè monſtrabimus.

Sabionenſi denique Eccleſiæ per ſæcula duo & dimidium 5. duntaxat Epiſcopos aſſignâſſe, inſtar prodigii habendum, cùm omnes omnino per annos quinquaginta præfuiſſe huic Eccleſiæ dicendi forent, aut intervalla admittenda, de quibus ſilet, & quæ conſtituta jamdudum hac Eccleſia etiam ex Poëtæ hujus ſententia tempore nempe S. Ingenuini non facilè admittenda videntur.

D Verùm

Verùm alia de hac Eccleſia cæteris remotiori & etiam ipſo fatente (dum nempe Sæculo VI. adulto Ingenuinum admittit) longè antiquiori, cui Synchronus aut præſens non fuit, ſperari non poterant ab hoc extraneo, utpote qui de ſola Salisburgenſi Metropolitana Sede ſollicitus fuit; & hinc reliquis præferendus recentiorum Sæculorum Hiſtoricis videtur. Paſſavienſis, Friſingenſis, ac Ratisbonenſis Eccleſia per D. Bonifacium præcedenti primùm ſæculo, aut inſtituta, aut ordinata quoad limites, facilè nomina illius temporis ſuppeditare illi poterat; nam ſi Salisburgi, aut in illa ſaltem Diœceſi ſuos verſus non panxit, illud Ratisbonæ aut in Vicinia factum fuiſſe, Codex ibi repertus aliquatenus indicio eſt. Vicinæ proin hæ Eccleſiæ (ubicunque demum ſcripſerit) huic Anonymo fuiſſe videntur, de Actis D. Bonifacio antiquioribus ille minimè ſollicitus in earundem Epiſcopis comprovincialibus ſola unius circiter ſæculi nomina conſcripſit.

Hæc igitur omnia, dum diu multúmque ſeria mente agitâſſem, cauſámque rimari veroſimiliorem non deſtitiſſem, cur nimirum tantus hic viſus ſit Anonymus Viris his præſtantiſſimis, videbar mihi denique (ni valde mihi blandiar) deprehendiſſe aliquid, quô omnibus facilè placuiſſe potuit. Notiſſimum ſcilicet eſt, quantùm Adventus Divi Rudperti, Theodones varii, qui Scenæ ſervierant, annus emortualis ejusdem Antiſtitis, Epitaphium ejus poſterioris Ævi, & alia quamplura, hactenus Viros eruditiſſimos ad finem & initium Sæculi præſentis torſerit, dum eorum aliqui, ut tempus Sæculi plusquam integri pro ejus in Bavariam adventu adhibere poſſent cum Scriptoribus Boicis anterioribus, qui ſe hac labyrintho extricare nequierant, Abbates quosdam San-petrinos primorum Epiſcoporum Catalogo inſerere non dubitavêre.

Hunc errorem cùm inventus dein à Viro Summo Mabillonio Ratisbonæ hic Codex detexiſſet, utpote qui tanquam Scriptor Synchronus eò majorem ſibi fidem conciliaverat, quia cùm aliis quoque graviſſimis ejusdem Mabillonii argumentis apprimè reſpondebat, Abbates mox omnes, hactenus Catalogo Epiſcoporum Salisburgenſium inſertos ſtatim excluſit, dum Succeſſionem horum Præſulum immobili ordine recenſuit.

Hæc

Hæc res tantum mox plauſum, tantámque Authoritatem huic Codici conciliavit, ut ad hujus aſſerta reliquos quoque Epiſcopatus omnes componendos crediderint Viri etiam doctiſſimi, quin attenderent, Mabillonium in Notis ad illum tantùm de Salisburgenſibus diſertis verbis dixiſſe *corrigendos eſſe ejusdem Eccleſiæ Catalogos, & expungendos Anſologum, Savium, ac Bertricum* Abbates, cùm nunquam Epiſcopi fuerint.

Eadem quippe ratione etiam reliquos Eccleſiarum comprovincialium Catalogos ad tenorem hujus Anonymi eſſe concinnandos nonnulli crediderant, licèt tum de ſolis Salisburgenſibus locutus fuerit Mabillonius, & in aliis potius dubia moverit, quàm aliquid deciderit: licèt alibi poſtea (ut capite VII. videbimus) etiam de Sabionenſibus demum ſeriò crediderit eſſe mutandum Catalogum.

Fallere tamen circa reliquos antiquiores Epiſcopatus omnes (ſolo Friſingenſi pariter Synchrono excepto) mox pluribus palam faciemus, de ſingulis ordine acturi.

CAPUT VI.

Præſertim circa Sabionenſes Epiſcopos.

Sunt tamen his inſuperhabitis nihilominùs hodie nonnulli, qui hunc, quem nunc examini ſubjicimus, Authorem Catalogis & Monumentis noſtris omnibus conſtanter præferunt. Mihi tamen, ut cordatè edicam, quod ſentio, tantus nondum eſt viſus, qui antiquiſſimis Catalogis, & Monumentis aliis præferendus ſit. Do etiam, illum ſui ac ſuperioris ſæculi viros in vicinia noviſſe, ac forſitan perſpecta illi fuiſſe D. Bonifacii eodem ferè tempore acta: In his tamen de Eccleſia Sabionenſi vix aliquid ſubſidii illi obvenit. Nihil enim S. Bonifacio cum Sabionenſi fuerat; *Vetus eſt Epiſcopatus* inquit Pagius: aliam rationem Velſerus attulit. Sed ſatis, eſt tanquam veterem notum fuiſſe.

Dein qua ratione hos verſiculos, in quibus Series Hiſtorica nulla, Chronologia, monumenta, aut fontes omnino nulli, antiquiſſimis Catalogis præhabeam, quos Hiſtoricorum aſſerta cum aliis documentis fulciunt, cum ignorantiſſimis ignoro: præſertim cùm conſideratis illis, quos recitat Epiſcopis, planum fiat, non omnes ab Anonymo allatos fuiſſe. Et quamvis Pagius T. III. p. 817. credat, *non eſſe exiſtimandum Poëtam hunc accuratiſſimum aliorum Epiſcoporum Sabionenſium nomina non ignoràſſe. Qui itaque in medium aſſeruntur in his verſibus* ~~*non*~~ *memorati, eos Epiſcopos tantùm Regionarios fuiſſe.* Authores tamen, qui horum aliquos afferunt, & monumenta reliqua, quæ exhibemus, ordinarios clamant.

Intelligit autem Regionarios hic Author, ſine ſede ordinatos Epiſcopos, qualem ad annum 632. S. Amandum facit, eſſent igitur ex Pagii mente Regionarii Sabionæ Epiſcopi tredecim omnino, qui ad duo duntaxat ſæcula pertinerent: quis quæſo tali tempore ſibi tot Regionarios ſibi ordine ſuccedentes imaginari queat Epiſcopos?

Aliam rurſus difficultatem hi verſiculi patiuntur, dum inter S. Ingenuinum & Alimum, quorum primus citra dubium vixit anno 591. & alter in Diplomate ſubſcriptus eſt anno 769. tantùm duos afferunt Præſules, Joannem nempe & Alimum: incredibile autem eſt, ultrà ſeſqui ſæculum duos tantùm hanc Eccleſiam rexiſſe Antiſtites.

Quæ cùm ita ſint, licebit & mihi hos Epiſcopos ex binis perantiquis huc advocare Catalogis, prior ex membrana ad Reverendiſſimum Capitulum Brixinenſe ſpectans ante quadringentos & quinquaginta annos, alter ante trecentos, ex vetuſtioribus membranis collectus fuit: in his binis poſt S. Ingenuinum hunc ordinem lego:

„ Secutus eſt hunc S. Conſtantius.
„ Item alius poſt hunc Conſtantius.
„ Procopius.
„ Urſus.
„ Pienius.
„ Projectus.
„ Maturninus.
„ Marcellus.

„ Vale-

„ Valerianus.
„ Agnellus.
„ Aurelianus.
„ Antonius.
„ Laurentius.

Sequuntur tres, quos Anonymus ſuis verſibus intulit: *Joannes*, *Maſtulo*, *Alimus*, & quem canit, & ſubticet *Henricus.*

Cæterùm eo majori pretio digni ſunt hi duo Catalogi, cùm & nævos unius vel alterius Epiſcopi præſertim ſub Henrico IV. Imp. non taceant, réſque exhibeant ab Hundio, aliisque omnibus penitus prætermiſſas.

Sed jam quid alii de his Epiſcopis & quidem ii, qui hunc Catalogum nondum viderunt, ſentiant, pluribus agemus.

Sancti Conſtantii jam Bartholomæus Tridentinus in S. Ingenuino præmiſſo hujus Sancti elogio addit: *cui S. Caſſianus ſucceſſit:* hoc certè ex Paulo Diacono non hauſit Bartholomæus, ſed ſanè ex antiquiſſimis Catalogis. Non aliter L. V. Rer. Boic. p. 160. Velſerus ſentit: (Sabiona) *Complures habuit Epiſcopos, inter quos Ingenuinus & Conſtantius Sanctitatis famâ claruêre.* Aventinus ejusdem pariter ùt *Sancti* ante omnes editos Catalogos noſtros meminit: atque utinam Vir hic in Bibliothecis totius Bavariæ teſte Beato Rhenano facilè verſatiſſimus, & qui monaſteriorum ejusdem regionis, ad quam illo ævo hi Epiſcopi noſtri pertinebant, antiquiſſimos luſtravit (ut certus ſcio) codices iſtos omnes, ætatémque eorundem indicâſſet, & non tantùm S. Conſtantium, Procopium, Urſum, & Pigencium f. 276. & f. 281. ſed & reliquos in Annalibus ſuis circa hæc tempora attuliſſet Sabionenſes Epiſcopos.

Hoc inſuper monendum perbenè, à ſæculo VIII. plerosque antiſtites noſtros legitimis probari documentis, & ex authoribus etiam extraneis firmari poſſe, ita quidem ut Catalogis noſtris ferè ſingula reſpondeant. Nunc ſcire vellem, ſi Catalogus ritè confectus poſt ſæculum VIII. oſtendi poſſit idem ipſe, qui ante authores (poſt renatas Litteras) omninò omnes, imò ante quinque ferè ſæcula conſcriptus fuit, & idem ſemper ſit, qui hodie, cur inquam in duobus duntaxat ſæculis, quæ VIII. anteceſſerant,

Digitized by Google

adeò errare queat? quis ergo ſæculo VII. & octavo illum, & cujus bono confinxit?

Dein attulit, ut monſtravimus, Anonymus Mabillonianus in Eccleſiis reliquis Ratisbonenſi, Friſingenſi & Paſſavienſi, (excepto ſolo S. Corbiniano) primos illos à S. Bonifacio inſtitutos Epiſcopos, & qui hos proximè inſecuti ſunt, circa medium octavi, & initium ſæculi noni: Ex noſtris Alimus pariter & Henricus ad finem octavi & initium noni pertinent, cur Maſtulo jam & Joannes, qui in ordine & numero Alimum & Henricum nullis intermediis præcedunt, more Anònymi, non eadem ratione poſt D. Bonifacium præfuiſſe, & ita circa medium ſæculi VIII. vixiſſe cenſeantur? quod utique veriſimillimum eſſe haud difficulter mihi concedendum puto. Si autem hi ad medium ſæculi octavi pertinent, locus utique erit reliquis in Catalogo noſtro Epiſcopis, aut certè Sabionenſis Eccleſia per ſeſqui omnino ſæculum omni caruiſſet antiſtite.

Quæro ulteriùs: ſi veri ſunt quatuor illi ab Anonymo allati Epiſcopi Sabionenſes, an illati ſunt ex Codice Anonymi in Catalogum noſtrum, an ex aliis monumentis? ſi ex Codice (quod tamen veroſimile non videtur, cum Mabillonius illum primus detexerit) tunc adhibiti utique fuerunt Codices antiquiſſimi, & ſic Catalogus fide dignus cenſendus eſt.

Si ex aliis monumentis, tunc ea legitima fuêre; nam Codici ad apicem reſpondent in Epiſcopis ſaltem quatuor, quos cecinit Anonymus. Fuêre ergo ſæculo ſeu ſeptimo, ſeu octavo, ſaltem quatuor in Catalogis Veri Sabionenſes Epiſcopi omnes nempè; nam plures poſt S. Ingenuinum indubium Sabionæ Præſulem non attulit Anonymus. Nunc ſcire vellem, cur cæteri confictì habendi ſint?

Sed concedamus doctiſſimis Adverſariis noſtris, hos omnes, quos Anonymus omiſit, veros fuiſſe Sabionæ Præſules, certò probari non poſſe, vacillabit tamen (ni me omnia fallant) non modice hujus Poëtæ circa ordinem fides, ſi vel unum, quem omiſit, documento ſtabiliamus authentico.

Totum hoc ex Tabulario Brixinenſi nuper exſcripſi, continetúrque in antiquiſſimo Libro Traditionum, loco principe, & ante D. Albuini acta: Codex, membrana, Characteres, imò ipſum

ipſum actorum principium Divi hujus Epiſcopi tempora loquuntur: quæ his inchoantur verbis: *In nomine Domini noſtri IHV XPI.*

Incipiunt Traditiones, Concambia, Commutationes, Complacitationes, quæ factæ ſunt ſub temporibus Albuvini Sabionenſis Aeccleſiæ Venerabilis Epiſcopi.

Omnibus igitur Traditionibus eodem ſæculi X. charactere conſcriptis præmiſſum hoc Inſtrumentum legitur, quod ſub Antone Epiſcopo ante medium Sæculi VIII. olim confectum, tum verò huic Codici inſcriptum fuit; nam Antho ſeu Antonius (unicus hujus nominis usque ad annum 1663. inter noſtros Epiſcopus) ante Alimum, qui anno 769. Sabionenſem Eccleſiam certò rexit, ſolísque intermediis tribus Præſulibus Laurentio, Maſtulone, & Joanne, huic ſedi præfuit. Hujus igitur Chartæ verba hæc ſunt:

Notum ſit omnibus Chriſti Fidelibus. quatenus quidam Brixinenſis Eccleſiæ Miniſter Meriboto & Uxor ejus Ricart. cum laudatione Clericorum ac Laicorum nonaginta arabilis terræ jugera loco Burginbach ſita. areis. ædificiis. exitibus & reditibus. omnique jure montibus. & convallibus. ad idem prædium pertinente in Concambionem hobæ unius Vellis. alteriúsque Philandres ſite ſuper Altare Sanctorum Caſſiani & Ingenuini in manus Domini ſui Antonis electi. omnium cum Traditione ſecluſa delegaverit. ac tradiderit. Hujus Traditionis Teſtes manu tracti per aures ſunt Nobiles Renhart. Gundacher. Reginbrecht. Adalpreht. Heimo. Henrich. Hub. Wezil. Dietmar. de Familia Baldemar. Ernoſt. Epp. Warmunt. Hagano. Guoto. Engeldie. Gunther. Roulant. Penzo. Fridrich. Adalman. Hartman. Hertwich. Partho. Oudalſchalch. Reginbrecht.

E contra præfatus Anto electus poſt ſolitam interrogationem & conlaudationem prædictas Hobas Vellis & Philandres ſitas. præfato Meribotoni. ejúsque Conjugi (ſic) ℞. *ad juſtam Concambionem manu potenti reſtituit. ac reddidit: Itemque ſupraſcripti teſtes manu tracti ſunt per aures ambarum Traditionum Inveſtiture ad debitas manus contradite infra ſcriptis teſtibus conſtant ſigillate. Hoc eſt Eppo. Henrich. Herewich. Guoto. Partho. Otto.*

Moris

Moris nempe fuit, ſimilia Poſſeſſionum Inſtrumenta in unum Codicem congerere; Sic Cozrohus teſte Meichelbekio Traditiones Eccleſiæ Friſingenſis, Arno Eccleſiæ Salisburgenſis, & alius ibidem libellum Donationum teſtibus Henrico Caniſio & Marco Hanſizio conſcripſere.

Nobiliſſimum denique hoc Inſtrumentum quoad omiſſum annum Domini, ſtylum, teſtium nomina, & morem illius ſæculi compluribus perſimile eſt, quæ omnium prima, & eodem pariter ſæculo in parte ſecunda Inſtrumentaria Cl. Meichelbekii occurrunt, & ſæculum VIII. ad omnem apicem præſeferunt.

CAPUT VII.

In iiſdem ſanè Anonymo huic nimium tribuit Cl. Mabillonius.

Veniam mihi facilè dabit Vir ſummus Mabillonius, quod eundem unius, alteriúsve erroris inſimulem; errare enim Vir quoque tantus potuit, utpote qui regionem noſtram nunquam luſtravit, Codices Manuſcriptos, & Diplomata non vidit, nec Geographiam patriam latino præcipuè ſermone, typis mandatam & qua in adornandis rebus ſuis uti potuiſſet, nanciſci non poterat.

Quæ Author hic prorſus inſignis in annotationibus attulerit, paulò antè audivimus, nunc quid in Annalibus ſuis ſentiat, ex Tomo II. ad annum DCC. XXXVIII. n. 43. audiamus. *Ceterùm Sabionenſis apud Noricos Epiſcopatus paulò ſerius erectus eſt, nec ei ullus proprius præfuit Epiſcopus antè Ingenuinum & Maſtulonem. In bis aliiſque immane apparet apud Hundium diſcrimen.*

Attulit hæc verba Mabillonius, poſtquàm, quos Epiſcopos Divus Bonifacius conſtituerit, enarrâſſet. Repetit eadem ad annum DCCLXX. n. 29. his verbis: *Eodem, quo Bertrada tempore Taſſilo Dux Bojoariæ Romam profectus eſt, fortè ut Reginam illo in itinere comitaretur & cum Deſiderio de reſtituendo Sabionenſi pago ageret.*

In

*In reditu cùm Bauzani * ſubſiſteret, quod S. Petri Monaſterium erat in Diœceſi Sabionenſi, ſeu Tyrolenſi comitatu, magnum terræ tractum Abbati Attoni conceſſit in ædificationem Monaſterii atque ipſius ſervitium, ut Taſſilo ille loquitur ** in Diplomate dato Bauzani, redeunte ex Italia eodem Taſſilone anno Ducatûs ejus viceſimo ſecundò, cujus initium Hermannus contractus reponit anno ejus ſæculi* 49. *Fortè tum primum Sabionenſem pagum Taſſilo receperat à Deſiderio Rege Longobardorum in quorum poteſtatem antea devenerat. Eo tempore Bauſarum Monaſterium ædificare occeperat, cui perficiendo Taſſilo hanc donationem fecit. Nunc locus iſte pertinet ad Diœceſin Brixinenſem, cui ceſſit Sabionenſis ſedes: at recentiorem ejus Monaſterii ſtatum ignoramus. Mendoſus eſt apud Hundium, ut id in tranſcurſu obſervem, primorum Sabionenſium Epiſcoporum Index, quem ex pervetuſto Codice S. Emmerani ſic corrige:* (ſequuntur verſus Anonymi) *Nec plura vetus codex exaratus tempore Henrici V*[ti] *Epiſcopi, Sabionenſis apud Hundium decimi noni, quem Henricum hoc loco in vetuſto exemplari ſupplendum exiſtimo.*

* *Bozlano.* ** *Metrop. T. I. p.* 125.

Sed hîc iterum bona tanti Viri veniâ quæro, an ergo ſeriùs erectus ſit Epiſcopatus Sabionenſis quatuor illis à D. Bonifacio conſtitutis? ùt innuere videtur Mabillonius: & unde habet, quòd ſeriùs erectus fuerit? an ex Scriptoribus Francicis, qui ſcire hanc rem poterant? quorum tamen nullum affert: an ex Bavaricis? ſed hi ſilent omnes, præter unicum Velſerum: *Sabionæ ratio non habita* (à D. Bonifacio) *eò quòd Longobardicum reſpiceret Imperium.*

Quænam igitur tanta fuit ratio, ut Anonymi, veroſimiliùs extranei ſimplex Antiſtitum ſine addito ullo alio enumeratio, & qui tantùm ſui, ac præcedentis Sæculi Epiſcopos ſolo nomine, Ratisbonenſes verò aliquos, uti & Paſſavienſes omnino omiſit, cæteros verò quoad ſuccedendi ordinem non ritè attulit, ſit præferenda omnibus Scriptoribus Bavaricis, ritè de his rebus inſtructis, quique Codices antiquos, quibus eximiè inſtructa eſt Bibliotheca Electoralis Monacenſis, & antiquiſſima paſſim per Bajoariam Aſceteria, atque Tabularia pleraque non ſegniter luſtrârunt, rationes dictorum reddiderunt, & omnia rerum, temporúmque ordine complexi ſunt?

Sed jam ad alterum Mabillonii textum: etſi enim in rem noſtram haud adeò quadrare videatur; quid enim ad nos Bertrada, Taſſilo, horúmque iter Romanum, Deſiderius Longobardorum Rex & alia nonnulla? ideò tamen totum dedi, ut monſtrarem non uno errore in rebus hiſce Sabionenſibus Virum aliàs ſummum peccâſſe, atque ut ſic pateat Præſtantiſſimo aliàs Scriptori in his non usquequaque omnem adhiberi fidem poſſe, & neutiquam plura illum, de Sabionenſi Eccleſia, quàm illuſtres Scriptores Bavaros ſciviſſe, atque eapropter injuriâ à Nobis poſtulari, Mabillonium his præferendum eſſe. De rebus enim facti (ùt loquimur) quæſtio eſt, in quibus nemo non errare poteſt.

In hoc altero enim textu à nobis relato ad minimum quinquies impegit Vir optimus. 1. Monaſterium S. Petri fuiſſe dicit in Diœceſi Sabionenſi, 2. ſeu in Comitatu Tyrolenſi. 3. Eo tempore hoc monaſterium Bauſanum (quam urbem hoc loco meliùs Bauzanum erroneè verò in margine Bozlano compellat; niſi Typographi errorem ex Bolzano meliùs dicamus) ædificari cœptum. 4. Huic perficiendo à Taſſilone Donationem factam eſſe. 5. Nunc locum illum pertinere ad Diœceſin Brixinenſem. Paulò poſt initium textûs ſui Diploma allegat ex Metropoli, Hundii haud dubiè, Tom. I. p. 125. niſi error ſit in Editione Italica Annalium Benedictinorum citato Tomo, & loco; Ego enim cùm Metropolis Tomus I. allegaretur, Editionem Hundii ultimam Ratisbonæ 1719. excuſam, atque in tres diviſam Tomos intellectam credidi, nam prima Hundii Editio Ingolſtadienſis de anno 1582. in Tomos diviſa non eſt. Sed ſeu primam, ſeu alteram Editionem luſtrarem, nullibi hoc Diploma deprehendi, neque ullum Abbatem Attonem, cui Taſſilo annô Ducatûs ejus XXII. Bauzani magnum terræ tractum conceſſerit. Tempus tamen, locus, Donans, & Donatarius tam diſertè nominabantur, ut mihi ſtatim Meichelbekii Diploma in ſua Hiſtoria Friſingenſi, etiam aliis, quas ſuprà dixi, ex cauſis in mentem venerit, quod exhibetur in T. I. Parte altera p. 38. n. XXII. in hæc verba conceptum:

IN DEI NOMINE.

„Ego Taſſilo Dux Bojoariorum Vir inluſter compunctus de „divina miſericordia, atque de æterna Beatitudine manu Valente

„cum

„ cum conſenſu Optimatum Bajorariorum dono atque transfundo
„ locum nuncupantem India, quod Vulgus Campo Gelau vocan-
„ tur, Attoni Abbati ad Eccleſiam S. Petri Apoſtolorum Princi-
„ pis, ſeu Ceterorum Sanctorum Apoſtolorum atque Martyrum
„ pro Remedio animæ meæ, ſeu & Anteceſſorum meorum in æ-
„ dificatione Monaſterii, atque ipſius ſervitio, à rivo, quæ vo-
„ catur Teſſido usque ad terminos Sclavorum id eſt rivolum mon-
„ tis Anaraſi totum atque integrum Campeſtria, ſeu & montana,
„ paſcuas, venationes, umecta, ſeu & fruteta, omnia ad eadem
„ pertinentia locum, ut nullus deinceps Genitorum hominum
„ queat, nec uſurpando præſummat quis quolibet ingenio, aut
„ querimonia oriente ullo modo inquietare locum, atque inhabi-
„ tantes in eo in exordio rationis prædicto Abbati Attoni poſte-
„ ros Ejus, quia manu propria ùt potui Characteres Cyrografu
„ inchoando depinxi coram Judicibus, atque Optimatibus meis,
„ quià & ipſa loca ab antiquo tempore inanem, atque inhabita-
„ bilem eſſe cognovimus. Nunc verò poſtulantem atque humi-
„ liter ſupplicantem audivi, & propter incredulam generationem
„ Sclavorum ad Tramitem Veritatis deducendam conceſſi, & hi-
„ lari vultu tradedi per præſentes apices, ut nullus, quod fieri
„ minimè arbitror, ex hæredibus aut cohæredibus meis ſive quo-
„ libet oppoſita Perſona, qui contra hanc Epiſtolam Donationis
„ ire, aut infrangere vult, iram Dei incurrat, & omnium San-
„ ctorum. Signum manus meæ propria Taſſilonis donante atque
„ confirmante. Actum in Bauzano rediente de Italia anno Du-
„ catui Ejus vigeſimo ſecundô, ✠ Alizzeo ✠ Reginwolf. ✠ Si-
„ gnum manus Cundheri ✠ Drudmunt ✠ Pillunc. ✠ Oato-
„ char ✠ hliodoro. ✠ Crimperth ✠ Popo ✠ Jubeano ✠
„ Alim Epiſcopus Teſtis, Ego Anno indignus juſſus ſcripſi, & ſub-
„ ſcripſi.“

Agit de hac Donatione Idem Meichelbekius eodem T. I. P. I. p. 64. narrátque pluribus, quod Taſſilo Dux ex Italia an. 769. rediens ab Attone S. Petri in Scarantia Abbate exoratus, Ejusdem Monaſterio tradiderit locum *Intica* hodie *Inching* [aliis *Innichen* Romanis Aguntum dictum] ad novum Monaſterium in vicinia Slavorum adhuc gentilium, ut eò faciliùs ad Chriſti ſacra adduci poſſent, extruendum.

Digitized by Google

Monaſterium verò in Scarantia ſeu Scharniz hodie (olim Tabulæ Peutingerianæ *Scarbia*) ante ſex annos hujus dati Diplomatis anno nempe 764. Benefactores quidam, quos p. 60. nominat Friſingenſis Scriptor, fundârunt pro ordine S. Benedicti, Eidémque Aribo noſter primus Abbas præpoſitus fuerat, Ariboni an. 764. ad Mytram Friſingenſem vocato Atto in Scarantienſium Regimine ſucceſſit. Ipſe verò Aribo adhuc Scarantienſibus Author fuit, ut nivoſa, ventoſáque ſolitudine Scarantienſi relicta extra alpes in loco, cui Schledorff nomen ſedem firmarent.

Patet igitur Monaſterium S. Petri nempe Scharnizenſe non fuiſſe in Diœceſi Sabionenſi ſed Friſingenſi: Neque in Comitatu Tyrolenſi, ſed iterum illo tempore in tractu Boico & poſteà Friſingenſi. Rurſus neque Monaſterium Bauſanum ædificari cœptum, Donationémque factam non perficiendo, ſed vel Scarantienſi, aut habitationi Fratrum Inticæ, ut per illos Slavi vicini ad Chriſti ſacra perducerentur: Neque locum illum denique (Bauzanum intelligit Mabillonius) unquam ad Diœceſin Brixinenſem pertinuiſſe.

* *

CAPUT VIII.

Circa primos quoque Epiſcopos nihil omnino probat idem Anonymus.

Pro certo, & indubitato hucusque credidit Clariſſimus adverſarius, cùm Sabionenſium tum cæterorum Antiſtitum, quos ſuis canit verſibûs nomina & ordinem didiciſſe, ac ritè omnes omnino attuliſſe.

Sed reſcire ego præ cæteris vellem, an toties laudatus Anonymus tam Antiſtitum Ordinariorum, qui nempe certam, conſtitutam, firmámque ex illo tempore ſedem finésque habuère, quàm an illorum quoque nomina ex Dyptichis hauſerit, qui tanquam Apoſtoli & nondum ſede firmata Epiſcopi Regionarii, ut illos compellari mos eſt, qui Regionem aliquam obeuntes fidei dogma-

dogmata ſparſêre, & è ſedibus vel è Regionibus ſuis pulſi, alibi vel Martyrii laureâ coronati ſunt, vel in exilio, aut alio, quàm in Epiſcopatu ſuo locô ſanctiſſimè in pace quieverunt, an horum inquam pariter rationem habuerit Anonymus?

Si illorum tantùm, qui ordinarii ſunt, recenſet nomina, illis utique præjudicium nullum infert, qui ex ſecundo ordine, & numero ſunt. Et ſic S. Ingenuinus primus eſſe Anonymo poteſt, quin alios Viros Apoſtolicos, qui vel Martyrii Coronam alibi retulêre, vel ſede pulſi, ſive in exilio, ſive in ſecuriori loco ſanctam mortem obierunt.

Quod veriſſimum utique, ſive S. Caſſianus, aut Lucanus, ſive alius quiſcunque hoc Apoſtolico apud nos nondum firmata ſede functus munere vel Martyrum vel Confeſſorum numerum auxit.

Si verò contenditur, omnes omnino qui Epiſcopali ſeu Paſtorali munere functi in Regione aliqua Chriſti fidem diſſeminârunt, inſertos inveniri in ſuis Verſibus, tunc apertiſſimi erroris, ac multiplicis defectûs incuſandus eſt hic ipſe Anonymus Mabillonius.

Ut enim ordine rem pandam, in Paſſavienſibus omiſſus eſt primus Apoſtolus & Epiſcopus S. Valentinus, qualis citra dubium fuit, nam Tabula plumbea à Surio, PP. Bollandianis, ac pleriſque aliis, uti & à me in actis hujus Divi allata p. 15. pluribus docent, S. Valentinum, dum Patavii Terræ commoditatem, & Regionem jam albam ad meſſem vidiſſet, nec auſus fuiſſet, niſi ex Apoſtolicæ Authoritatis miſſione hoc in ſe munus ſuſcipere, Apoſtolicum Romanæ Civitatis Leonem adiiſſe: qui cauſam Prædicationis Apoſtolica Authoritate confirmavit; quapropter *reverſus denuo ad Urbem Pataviam tentavit in ea prædicare verbum vitæ*, cùm verò haud multùm proficeret hic S. Apoſtolus, rediens iterum hæc Summo Pontifici conqueritur: ſed juſſus *opportunè inſtare, & ordinatus* à S. Leone I. *Epiſcopus ad eundem locum iterum redire, ut mitiget feritatem, diu repugnantis Populi*, addito: *quòd ſi nec tertio prædicandó prævaluerit, licentiâ & Authoritate Apoſtolica ad alias nationes prædicandi gratia* migrare poſſit. Qui igitur toties in hac vinea laboravit, & oviculas inſtruxit Paſtor imperterritus D. Valentinus, an non locum inter Paſſavienſes Præſules

meretur, quem Ipſe ſummus Pontifex illuc miſit Epiſcopum? meretur enim verò, & ſummis honoribus colitur, teſtibus innumeris, ac brevitatis gratia in hymno à me ex parte in Ejus Actis p. 146. allato, illi Eccleſiæ proprio:

Valentinus Pontifex Spes noſtra Salus & Gloria.

Poſt Paſſavienſes, Ratisbonenſes examinemus Præſules. De S. Emmeramo Teſtis longè graviſſimus narrat, quòd Regionem hanc tanquam Epiſcopus ſedulò excoluerit, Aribo nempe noſter, aliàs Friſingenſis dictus, in vita à ſe ipſo de hoc ſancto Præſule concinnata hæc inter alia habet apud Surium, & ad diem Sept. 22. *quòd ad Ducem Theodonem Ratisbonam pervenerit, qui eum orabat, ut eſſet Pontifex, qui triennio per Ejus Principis Urbes, pagos, Vicos, & fidelium domos curſitans munere ſuo egregiè functus eſt.* Regum enim Francorum miſſio, Ducum juſſio, vel Populi electio Epiſcopos in Bajoaria fecit.

Verùm, ne quis Surii Textum interpolatum aſpernetur, genuinum Auctoris textum allegamus, quem ex Codice Ducheſniano deſcriptum Cointio Lucas Dacherius communicavit, ac dein Cointius ipſe in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum T. 2. ad annum Chriſti 649. attulit. *Petebat* (Theoto) *ut tantus & talis Deo notus Epiſcopus apud ſe & ſuos remanſiſſet. & illorum Pontifex eſſe debuiſſet.* Et paulò poſt: *Supplicanti Duci conſenſit &c.* Et iterum: *Hæc meditans continuè per Triennium ſatagebat per Urbes infra prædicti Principis fines, per vicos & fidelium domos diſcurrens, inſtantiſſimæ curæ intentus aliis fidei ſemina plantabat in pectore, aliis vitia, ſagaci ſermone radicitus abſcindebat &c.*

Hunc quoque inter Regionarios Ratisbonæ Epiſcopos ab Anonymo omiſſos diſertiſſimis verbis ponit ipſe Mabillonius in adnotationibus nempe, ut jam audivimus, ad hunc ipſum ſic prolocutus: *Multùm diſcriminis eſt item in Catalogo vulgato Epiſcoporum Ratisbonenſium, quorum duplex eſt claſſis: unà Epiſcoporum, qui quaſi extra ordinem eam Eccleſiam rexerunt, nempe S. Lupus, Ratharius, S. Rupertus, S. Emeramus, S. Erhardus. Albertus. Veliphelægus, Victerbus, & S. Winifridus, ſeu Bonifacius. Altera Claſſis eſt Epiſcoporum poſt hos Ordinariorum, quorum primus S. Garibaldus nominatur, hic Gauvibaldus ſeu Gauvibaldus appellatus.*

Et

Et quamvis meâ equidem ſententiâ concedendum non putem, SS. Rupertum, Erhardum, Bonifacium illi Eccleſiæ extra ordinem præfuiſſe, utpote quod de ſolo Emmeramo, ~~ac Ratha-rio~~, ut audiemus, dicendum eſt; illud tamen nôſſe percuperem, cur S. Lupum certum ſub Theodone Epiſcopum omiſerit Anonymus, quem Ratisbonenſem rexiſſe Eccleſiam, teſtis omni exceptione major Vir ſummæ authoritatis, & ſcriptor domeſticus ſtatim poſt ſæculum X. Arnolfus nempe ex Comitibus de Cham & Vochburg Benedictinus Ratisbonenſis teſtatur; Verba illius Henricus Caniſius in Lectionibus antiquis Edit. Baſnag. T. III. P. I. p. 132. in Dialogo quodam hæc recitat: „Collectitius, Non „habetur certum, quis primus in illo loco Plantator fuerit divi„narum Plantationum, ſed tamen, ut potero, dilectioni tuæ „optemparabo. Igitur ſicut Eccleſiaſticarum teſtantur ſcripta „donationum & Traditionum, hæc ſedes habuit Epiſcopos pri„mum Lupum, & Ratharium, ante ordinationem B. Bonifacii „Moguntiæ Archiepiſcopi quam ille in Norico ex authoritate „apoſtolicæ ſedis juxta inſtituta Canonum exercuit, ſive diſpo„ſuit. Poſtea verò præfuerunt hi, quorum nomina ſubſequun„tur, Imprimis præfuit dominus Gaubaldus Vir ſanctus & reli„gioſus, ſub quo corpus B. Emmerammi verè Martyris & Epi„ſcopi translatum eſt de loco, in quo poſitum fuerat, quando ab „Aſchheim huc transportatum erat. Poſt hunc Sindpertus Cathe„dralem Pontificalem cum Regimine Eccleſiaſtico ſuſcepit, qui „B. Emeramo Baſilicam novam amplioribus ſpatiis, & propen„ſiore ſumptu conſtruxit, atque ornavit, quem per ordinem „ſequebantur Adalwanus, Baturicus Erchanfridus: his ſuccede„bat Embricho homo Venerabilis ætate ac merito. uti comperi„mus Chronicorum ſcripto Veridico. Tum Epiſcopatus Ratis„bonenſis Aſperto provenit, cui ſucceſſit Vir magnæ manſuetu„dinis & pietatis nomine Tuto, clarus ingenio: is habuit ſuc„ceſſores Iſangrimum, Guntharium, & Michaëlem, poſt hos rexit „hanc Eccleſiam B. Wolfgangus, quem ſubſecuti ſunt ordinis vi„cis ſuæ Gebhardus & item Gebhardus, quibus Orno ſucceſſit, „tertius Gebhardus frater Imperatoris, valde præeminens, & „nobilitate generis & faſtigio Pontificalis honoris. Ab illo au„tem, qui Lupus vocabulo, paſtor officio paſcebat oves Chri-

„ſticu-

Digitized by Google

„ ſticulas, ſub Duce, qui dictus eſt Dieto, usque ad iſtum, qui
„ nunc Eccleſiam regit, fuerunt omnes Epiſcopi hujus ſedis de-
„ cem & ſeptem, hos pius princeps Paſtorum collocare dignetur
„ in regno cœlorum.

„ Omiſit igitur Anonymus Mabillonius inter ordinarios Præ-
„ ſules Lupum, & Ratharium extraordinarium autem S. Emera-
„ mum verè Martyrem & Epiſcopum.“

Non igitur primus fuit (ut vult Anonymus) Ratisbonæ Præſul Wicterpus, non Cauvipaldus ſecundus, ſed omiſſi Lupus & Ratharius & inceptus Catalogus ab iis, quos Divus Bonifacius præfecit.

In Friſingenſibus autem errare non potuit; ſublato enim ſæculo priori S. Corbiniano, electóque fratre ejus Ermperto pariter à D. Bonifacio conſecrato, ut Meichelbekius T. I. f. 32. docet, iterum palàm fit, à quo tempore illos recenſeat.

Sed jam ad Patavienſes: hos ordine ſequenti celebrat poëta: Vivolum, Beatum, Sidonium, Anthelmum, Wiſuricum, Waldricum & Anonymum, ſed inceptus hic iterum Catalogus ab illo eſt, quem S. Bonifacius in ſua ſede confirmavit, Vivolo nempe. Verùm ubi priores remanſerunt antiſtites, qui ante S. Bonifacii tempora hanc ſedem tenuêre, ubi Erchanfridus Epiſcopus, ſub quo, *cum is eſſet Patavie cum Fidelibus ſuis*, renovatæ ſunt donationes aliquæ *ad S. Stephanum Patavie infra muro civitate &c.* (hæc Traditionum authenticarum Verba ſunt) & eas quidem donationes, quæ *anteriorum Epiſcoporum tempore* factæ fuerunt, uti & donationes de *Trungew.*

Similiter *Otkario* Epiſcopo renovatæ ſunt Traditiones ad S. Stephanum factæ, olim *Erchanfrido* Epiſcopo rurſus *de Trungew.* Sic *Sedonio* Epiſcopo *anno regni Thaſſilonis VII. & IX. Wiſurihb* Epiſcopo ad S. Stephanum & Valentinum, Teſtibus *Vigilio* Epiſcopo & *Adalprecht* Abbate.

Erchanfridum igitur & Okarium certum eſt, Paſſavienſes fuiſſe Epiſcopos, quos tamen item noſter omiſit Anonymus.

Verùm eadem iterum occurrit ratio; à D. Bonifacio nempe ſuos ubique incepit comprovinciales Præſules: de cæteris autem minimè ſollicitus fuiſſe videtur.

Ex

Ex quibus omnibus planè non capio, cur ſi omnes ſimiles omiſit toties laudatus & omnibus Scriptoribus ac traditionibus univerſis per tot libros Liturgicos, aliáque non levia utique monumenta, comprobatis, ſolus præferri debeat, imò poſſit Anonymus? Orbem litteratum appello Judicem, ſi tamen in re adeò clara judice opus ſit!

Ecquis enim, amabo, ſi hæc poſitis partium ſtudiis æqua lance trutinare velit, adhuc aſſeret, divum Ingenuinum fuiſſe primum ad ſæculi VI. finem Authore Anonymo Epiſcopum; Ejúsque S. Præſulis ſucceſſores meliùs in Ejus Carminibus quàm omnibus monumentis reliquis citra controverſiam contineri? nam ſi iſta labantur etiam cætera corruere, certiſſimum eſt.

Si autem iſta, quæ pauculis duntaxat verſibus hic Vates cecinit, extra omnem dubitandi rationem & errores omnes non ſunt poſita, neſcio ſanè, qua unquam ratione ejusdem verſus dici poſſit ſcientia aut validiſſima probatio, imò grave, firmum & invictum monumentum, ad cujus vim, & auctoritatem, quam habet maximam, infringendam nullum ſuperſit effugium.

CAPUT IX.

Atque hinc S. Caſſianum nunquam excludit; præcipuè cùm ejus cultum Sæculo jam VIII. documentis monſtremus.

Oſtendimus, Anonymum Mabillonianum Synchronos, illósque etiam, qui Sæculo antecedenti poſt ordinatas à Divo Bonifacio Bajoariæ ſedes vixêre, probè attuliſſe Comprovinciales Sedis Metropolitanæ Salisburgenſis Præſules: eos nempe, qui verè illo tempore, laudatis Eccleſiis præfuerant: in hoc tamen certò peccâſſe, quòd in Antiquioribus Paſſavienſi, Ratisbonenſi, ac Sabionenſi omnes, ac præcipuè primos Apoſtolos, aut ſaltem antiquiores, quos non abnuo etiam Regionarios fuiſſe, &

dici

dici poſſe, non recenſuerit Epiſcopos. In Ratisbonenſi nempe S. Emmerammum, Lupum, & Ratharium, in Paſſavienſi S. Valentinum, Erchanfridum, & Otkarium, in Sabionenſi S. Conſtantium & Antonem certos omnino Antiſtites: imò per ſeſqui Sæculum nullos, & nec unum in aliis quoque (excepto S. Corbiniano) ante Divum Bonifacium attulerit, & ſic in Antiquioribus Epiſcoporum Sedibus non leviter erraverit, dum numeros Epiſcopis præfixit; quorum tamen nec omnium primos, nec omnes recenſuit.

Atque ſic mirum haud eſſe, quòd etiam in Antiquiori Eccleſia noſtra Sabionenſi primum noſtrum Apoſtolum, & Epiſcopum S. Caſſianum alióſque ante S. Bonifacii tempora, & poſt S. Ingenuinum, tempore ſcilicet utrique intermedio per ſeſqui Sæculum tacuerit: quo tamen tempore Epiſcopos nobis fuiſſe, nemo adhuc negavit, quin unum alterúmve ex his mediis etiam ut ſpes eſt, probavimus, licèt de hoc ipſo tempore, & univerſim ante Sæculum X. Eccleſiarum Cathedralium monumenta repertu difficillima ſint, quod non ſemel, & præcipuè Parte I. Veronæ ſuæ illuſtratæ ad finem Illuſtriſſimus Marchio Scipio Maffeius confirmat, & de Veronenſi etiam, licèt illa cum multis aliis de antiquitate certare juſtiſſimè poſſit, ſuo teſtimonio ſingulariter comprobat.

Cùm tamen aliqua octavo, nono, & decimo Sæculo de cultu hujus S. Præſulis noſtri, Caſſiani nempe ſuperſint haud contemnenda Monumenta, operæ utique pretium fore credidi, ea ordine afferre, tum ut ritè monſtremus, verè omiſſum fuiſſe ab Anonymo hoc aliquem Antiſtitem, quem primum Apoſtolum & Epiſcopum noſtrum colimus: tum ut unà monſtremus, cultum S. Martyris & Epiſcopi non primùm poſt Sæculum XI. cœptum fuiſſe, ſed doceri poſſe jam VIII. IX. ac X. quorum Monumenta ſi afferantur, pro exceptione omni majoribus habenda eſſe, conſenſus Authorum docet.

Cùm autem Chartæ hæ, ac Diplomata cultum S. Caſſiano, tum Sabionæ, tum Brixinæ exhibitum loquantur, neceſſario his præmittenda eſt circa utriusque urbis ſitum Geographica quædam, uti & Topographica & antiquaria notitia, Sabionam Romanorum tempore Manſionem fuiſſe contra Burgklechnerum in Conjecturis noſtris

noſtris p. 39. probavimus, ex his manſionibus paulatim urbes enatas eſſe, notius eſt Geographiæ antiquæ peritis, quàm ut doceri oporteat. An Hunni Sæculo V. medio illam deleverint, ut communiter ferunt, monumenta verò tacent, aut an fortè paulò poſt Heruli, qui teſte Eugippio c. 24. Joppiam, ſeu Juvaviam vaſtaverant, hócque ipſo itinere Romano, *Lauriaco* nempe Veldidenam, & Veldidenâ Veronam & in Italiam delatiſ, ignoro penitus. Si deleta fuit (à quocunque demum) Sabiona, tunc reſtauratam fuiſſe eò minùs dubitandum; cùm Sedes dein certa fuerit quindecim omnino Præſulum, ante S. Albuini translationem, quos (ſi etiam perantiquis Catalogis noſtris nulla adhiberetur fides) ſolis documentis abundè firmare poſſumus, ut reliquos interim ſileamus Epiſcopos. Manſio Romana, Sabionæ proxima, teſte Itinerario Sebatum fuit, *Schcabs* hodie in Campis ſat amplis tribus horis Sabionâ diſtans, ubi Populi Sevaces, utpote per Hyſarcum fluvium (*Eyſack* hodie) à Rhætia diviſi Ptolomæo noti ſunt, & Lapidi apud Reineſium Romano, qui olim Agunti (quod nunc *Innichen*) fuerat.

A jam dicta Sabiona omni tempore ex Italia redeuntibus duplex iter, in Noricum nempe, ſeu Vallem Puſtriſſam hodie, & in Rhætiam ſeu Vallem Oenanam patuit. Pergere tamen poterant alterutram Provinciam, Noricum nempe, vel Rhætiam petituri Sabionâ uno itinere usque ad Byrri (Rienz germanis) qui ex Norico, & Hiſarci, (Eyſack) qui ex Rhætia confluentes, ad quos Brixina hodierna extructa eſt. Mons etenim ibi, ſeu collis altior ab uno latere Iſarcum, ab altera Byrrum effundit, atque ad pedem utrumque jungit. Atque hinc jam in ipſa hodierna urbe Brixina iter ipſum diſpeſcitur; Noricum enim petentibus montes ad dextram aſcendendi ſunt, Rhætiam verò acceſſuris ad ſiniſtram.

Dubitabam ego p. 16. in Conjecturis meis ex defectu Monumentorum, nec ſatis antea conſiderato loci ſitu, num Populi Brixentes apud Plinium, aut Brixantæ apud Ptolomæum inſtar aliorum in Rhætia noſtra Populorum oppidum aliquod proprium, & nobilius incoluerint, in uberi præcipuè illa circa Brixinam hodiernam planitie, utpote quæ ſola in tota ferè Provincia ſine celebri urbe, oppido, aut manſione fuiſſet, quod ſanè mihi incre-

Digitized by Google

dibile viſum. Addidi, quidquid hoc ſit, certum eſſe, Brixinam vix notum fuiſſe ante octavum, & muris cinctum ante decimum omnino Sæculum. Credidi dein p. 132. fortè olim Caſtellum fuiſſe, quod teſte Paterculo L. 2. p. m. 292. *multis urbium ac Caſtellorum oppugnationibus geſtum*, valde attritum fuerit, eò quòd poſtea tantus non fuerit locus hic, ut pro Manſione militari Vipiteno ſex horis diſtanti diſcedentibus inſervierit, communî aliàs manſionum noſtrarum ſpatiô. Nam licèt Sebatum ultra horam vix diſtet ab hodierna Brixina; non occurrit tamen in Itinere ex Vindelicia per Rhætiam Italiam petentibus, ut ex locorum deſignatione in Itinerario & Tabula Peutingeriana contenta *Auguſtâ Veronam* patet; Sabiona autem à Vipiteno horis ad minimum octo remotum ſit.

Affirmavi tandem p. 134. Brixinam Romanorum tempore in Nobiliorem locum, licèt ibi magìs commodè, quàm Sabionæ fieri potuiſſet, haud evaſiſſe; non tamen ex hoc argui licere, Romano, aut medio ævo, nullum fuiſſe locum, pagum exemplî causâ, aut Vicum. Sed defectus Inſtrumentorum, & Authorum, qui de his rebus illo utroque tempore, ſcripſiſſent, nobis has notitias malô fatô denegare. Nihil enim de locis in Tyroli Romanis plerisque nos ſcire, niſi occaſione commeantium exercituum Manſiones quædam in toties allato Itinerario, Tabula Theodoſiana, & utriusque Imperii Notitia conſervatæ fuiſſent.

Dixi rurſum p. 135. ante Sæculi IX. medium ſaltem locum vocatum eſſe in Diplomate apud Meichelbekium, & ex alio Diplomate primo Sæculi decimi anno confecto Curtem fuiſſe, quin addiderim, num Ruſtica, vel Regia fuerit. Atque hæc omnia ex defectu Monumentorum ſcripſi.

Cùm verò, uti jam monueram, Autumno hoc Brixinam ipſam acceſſerim, Tabulariúmque ampliſſimum cum vicinia omni luſtraverim, multa clariori luce ſuffuſa ſunt; ut adeò in rebus his longè ſecuriùs, & ulteriùs poſſim pergere.

Ante omnia verò notandum, in planitie illa Brixinæ ad confluentes præcipuè, ſæpiùs multos & diſperſos inventos eſſe Romanorum Nummos, quod locum olim à Romanis frequentatum, luculenter confirmat.

Magnum

Magnum quoque numerum ſimilium Numiſmatum in loco ſemihoram Brixinâ vix diſtanti repertum ſcio in colle quodam etiam *Colls* ſeu Collis hodie dicto: Romano, ſeu Latino haud dubie nomine.

Videntur hæc quoque in diſtrictu Sebatum inter & Sabionam ſita loca affinitatem cum Latinis, & ideò Romanis temporibus & nominibus habere: *Pagus Varina* & *Varna* (hodie Varn) Valturis (Velturns) *Fons Latius* (Lazfons) Luſinum & Luſino (Lüſen) *Mons S. Valentini Alpines* ſeu *Albinum* (Albeins) quæ pleraque in Chartis Brixinæ Pagenſibus occurrunt.

His jam diſcuſſis planum fit, viciniam illam, ſeu Vallem inter Sabionam, & Sebatum mediam, Brixinenſem nempe, non tantùm duplici viæ militaris Romanæ concurſu tritam, ſed & in aliis multùm veroſimiliter excultum fuiſſe.

Sed tandem ad rem ipſam accedamus. Sabionæ cultum fuiſſe S. Caſſianum, nemo puto, negabit, qui Diplomata leget, paulò poſt afferenda: Sed ſæculo octavo Brixinæ quoque jam cultum fuiſſe, hactenus, ut puto, ignorârunt omnes.

Audivimus cap. 6. integram atque ideo hìc non ampliùs repetendam Chartam Pagenſem, vi cujus *Meriboto Brixinenſis Eccleſiæ Miniſter Concambium fecit nonaginta Jugerum in loco Burginbach ſuper Altare* SS. CASSIANI *&* INGENUINI, *& in juſtam Concambianionem accepit Hobas duas in Vellis & Philandres.*

Concambium hoc cum Epiſcopo ſuo Antone electo tanquam Brixinenſis, & non Sabionenſis Eccleſiæ Miniſterialis celebravit; Brixinæ igitur ſæculo octavo Eccleſia fuit, & in hac Altare, in quo cultus fuit S. Caſſianus noſter.

Si igitur hæc Eccleſia Miniſtro jam ad colligendos reditus indiguit; autumandum eſt, non illo, octavo nempe ſæculo ita primùm accreviſſe, ut hoc indiguerit; præcipuè cum Brixina ipſa, totúsque ejus diſtrictus, aut Jura ulla hoc adhuc tempore nulla tum ratione ad Epiſcopos Sabionenſes, utì audiemus, ſed Antonis adhuc electi tempore ad Duces Bajoariæ: ad Sæculi autem hujus finem ac deinceps ut Curtis Regia ad Imperatores Carolingicos pertinuerit, atque anno primùm 901. à Ludovico Infante Sabionenſi Eccleſiæ tanquam nimia paupertate preſſæ donata fuerit.

Cæterùm Eccleſia ipſa Brixinenſis probabiliùs S. Stephani nomen tulit, ut in decurſu audiemus; à Monaſterio nempe ibi adjecto S. Stephani nuncupato, quod pro more Patronorum Templi etiam ipſum Patroni nomen aſſumpſit; innumeris quippe exemplis conſtat Monaſteria à Templis, non Templa à Monaſteriis nomina mutuare.

Quo equidem tempore hoc Monaſterium, imò Templum ipſum extructum fuerit, inveni prorſus nihil: Patronus Templi, Reditus ejuſdem, Locus ipſe veriſimiliter omni tempore cultus anteriora Sæcula minimè excludunt. Verùm nos in Re Inſtrumentaria Sæculo VIII. contenti jam ſumus, quòd nimirum ante ejuſdem medium hujus S. Præſulis Caſſiani noſtri cultum jam eodem Sæculo potuerimus oſtendere. Nunc pergamus ad ſequentium ſæculorum noni ac decimi monumenta.

CAPUT X.

Uti & Sæculo IX. per Diplomata.

Primum Ludovici Germaniæ Regis eſt, Sedem Sabionenſem in ſuam tutelam recipientis. Afferemus ex hoc, ne longiores ſimus, nam plura occurrent ejuſdem non rarò, aut non multum diverſi tenoris, quæ ad ſcopum duntaxat noſtrum & ejus criſin pertinent. Ita igitur ſe habet Initium, petitio, & finis:

In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Illudovicus divina favente gratia Rex. Si petitionibus Sacerdotum juſtis & rationabilibus divini cultus amore favemus, ſuperni muneris donum nobis à domino impertiri credimus, Proinde comperiat omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quàm & futurorum induſtria, quia Vir Venerabilis Landfridus Sabionenſis Eccleſiæ Epiſcopus, quæ eſt conſtructa in honorem S. Caſſiani M. noſtram adiens clementem, poſtulavit ſerenitatem noſtram, ut eum & prædictam ſedem cum omnibus ad ſe præſenti tempore juſtè & rationabiliter aſpicientibus vel pertinentibus propter malorum hominum tergiverſationes ſub noſtra ſuſciperemus defenſione & Immunitatis tuitione. &c. Et

Et ut hæc auctoritas noſtra futuriſque temporibus Domino protegente valeat inconvulſa manere, manu propria ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Signum Domini Hludovici Sereniſſimi Regis Reginbertus ad vicem Rudlovici recognovi. Datæ II. Nonas Septembris Anno Chriſti propitio XIIII. Regni Domini Hludovici in Orientali Francia Indictione VIII.

Sed jam ipſum Diploma examinemus; Præmittitur Invocatio divini nominis, & hoc in aliis quoque ejusdem Regis diplomatibus præcipuè apud Eckhardum in Francia Orientali T. I. f. 888. & 889. factitatum cernimus.

Nomen concedentis ita ſcriptum eſt, *HLudovicus divina favente gratia Rex &c.* ita in laudatis Diplomatibus expreſſum eſt.

Implorantis nomen Landfridum Sabionenſis Eccleſiæ Epiſcopum loquitur. Hunc ex M. S. Bibliothecæ Cæſ. inter ſubſcribentes Epiſcopos ad annum 868. T. I. f. 161. Cl. Hanſizius affert. *Signum Domini Hludovici Sereniſſimi Regis* cum Monogrammate ad omnem apicem cum illo convenit, quod Mabillonius de hoc Rege exhibet in Arte Diplomatica f. 401. Reliqua ad finem verba ita concepta ſunt, ut in aliis ejusdem jam allegatis apud Eckhardum & Mabillonium Inſtrumentis. Combinanda tamen adhuc ſunt annus Regni in Orientali Francia decimus quartus, & Indictio octava, ut eò certiùs annus dati Diplomatis erui poſſit, præcipuè cùm omiſſus ſit annus Incarnationis dominicæ, quod num ritè factum, etiam perpendendum eſt, nec non utrum Francofurtiam Palatium regium fuerit.

Vir ſummus Mabillonius in Arte Diplomatica princeps annos Regni Francici Ludovici Germanici f. 205. ab Anno Chriſti 833. numerandos eſſe inclinat; addit tamen f. ſequ. 206. *Ex quo numero, ſi annum V. reducas, annus* 733. *vel præcedens Regni Ludovici primi ſupererit.* Ut adeò nec annum Regni Francici 732. primum eſſe abnuere videatur.

Si igitur ab anno 832. calculum ducere liceat, prodibit annus Regni Francici 845. cui Indictio VIII. probè reſpondet; Secus dicendum, abundare numerum unicum per I. expreſſum, vel in adſertis annis Regni Francici, vel Indictionis, & legendum: *Anno Regni XIII.* vel: *Indictione VIII.* quod planè nihil foret novi, nam ſi vel ſolius Gotwicenſis Annales in Conradis, Otto-

nibus

nibus & Henricis luſtres, innumera ferè Diplomata occurrent, in quibus ſimiles errores comprehenſi ſunt, quin de eorum ſinceritate quisquam dubitaverit. Et certè ſimile Diploma Ludovici Germanici apud Cl. Hanſizium T. I. p. 156. legitur, in quo unicus certè numerus detrahendus erit.

Cæterùm annos Incarnationis omiſit adhuc hic Ludovicus Germaniæ Rex, ut iterum docet L. 2. c. 27. f. 207. Mabillonius. Denique eodem Authore L. 4. f. 283. certi ſumus, illo tempore Franconefurt Palatium regale fuiſſe, uti & ſigillum cum Inſcriptione ejusdem, quoad omnes apices cum illo convenire, quod exhibet Eckhard. Franc. Ord. T. I. f. 890.

Diploma alterum Sæculo IX. iterum autographum nobis Tabularium Brixinenſe exhibet, cultum S. Caſſiani noſtri egregiè adſtruens, Datum eſt hoc II. Kal. Junii An. DCCCXCII. Damus hoc integrum, cùm & brevius ſit, & Eccleſia Sabionenſis, cui datum eſt, primùm circa finem nominetur:

„ In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Arnolfus di„ vina favente Gratia Rex. Si Servorum Dei Petitiones, qui„ bus pro Eccleſiarum ſibimet commiſſarum commodo noſtram „ intercedunt clementiam, auribus noſtris accomodamus, & ea, „ quæ ſuggeſſerint, usque ad effectum perduxerimus, non ſolùm „ ad temporalis vitæ curſum feliciter tranſigendum, verùm etiam „ ad cœleſtis patriæ introitum hoc nobis profuturum eſſe liquidò „ credimus.

„ Idcircò omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus præſentis „ ſcilicet temporis & futuri agnitum eſſe volumus, quomodo „ quidem Venerabilis Epiſcopus Zacharias nomine adiit culmen „ ſerenitatis noſtræ deprecans, ut venationem, quæ infra cujus„ dam foreſti ad Epiſcopium ſuum pertinentis terminos reperi„ tur, & hactenùs inde prorſus extitit alienata, pariter cum eo„ dem foreſto donationis noſtræ tenore ad Eccleſiam S. Caſſiani „ precioſi Martyris Chriſti, cui ipſe præeſſe dignoſcitur, conce„ deremus, ſtatímque nos pro divini cultus amore, ejusdem ve„ nerandi Præſulis ſtudium, quo in noſtræ fidelitatis ſervitute ef„ ficaciter nititur demonſtare, præſentes decrevimus ita fieri, „ dedimúsque præfatæ Eccleſiæ ſuæ eandem Venationem, ſicuti

„ per

„ per ſubſcriptorum ejuſdem foreſti locorum limites diſtinguitur „ perenniter illuc conſiſtendum, id eſt foreſtis ad Luſinam usque „ in vicum Millana, ad domum Amalberti, deinde usque in mon- „ tem numeratorium, & inde, usque in monten, qui dicitur Su- „ ſulona, & inde usque in verticem montis Elinæ, indéque in „ Oneia, deinde ad fluuium Pirra nuncupatum, quod pertinet ad „ Comitatum, inde etiam usque in Campannam ea videlicet ra- „ tione, ut nullus Comes, neque ullius ordinis poteſtas ullo un- „ quam tempore deinceps infrà præſcriptos crebrò dicti foreſti „ terminos conſenſu prænominati Epiſcopi vel Succeſſorum ejus „ ullam omnino venationem exercere præſummat, ſed licèt ei- „ dem Epiſcopo ſucceſſoribúsque illius ipſam venationem una cum „ foreſto ad partem prælibatæ Eccleſiæ loco Sabiona conſtitutæ, „ ſecure atque tranquille perpetuò retinere, absque ullius perſo- „ næ vim inferentis obſtaculo. Et ut hæc auctoritas noſtra fir- „ miorem in Dei nomine obtineat ſtabilitatem in ævo, manu „ noſtra ſubter firmavimus, annulóque noſtro ſigillari juſſimus.

„ Signum Domini Arnolphi.

„ Engilpero Notarius ad vicem Deotmari Archi-
capellani recognovi.

„ Data II. Kal. Junii A° Domini DCCCXCII. indictione XI. „ Anno VI. Regni Arnolfi piiſſimi Regis actum Regina Civitate „ in Dei Nomine feliciter Amen.“

Præcepti hujus, ut ſua Diplomata vocant Principes, Author eſt Arnulphus Germaniæ Rex, quem certum eſt, ex ſequentibus (ait Eckhardus Franc. Orient. T. II. p. 695.) anno 989. Kal. Decembris annum adhuc Regni ſecundum numerâſſe, unde ſub initium hujus Menſis Regem factum fuiſſe ſtatuendum.

Non poteſt igitur in hoc Diplomate Annus Regni ſextus aſſignari, ſed quintus; quare delenda eſt iterum Littera numeralis I. duntaxat; aut ſi verus dicatur Numerus Regni VI. & Indictionis XI. tunc mallem, ne in duobus erratum ſit, Numero anni DCCCXCII. unicum I. addere, & annum 893. conficere, utpote cui Indictio XI. & nulla alia convenit. Cæterà Titulus, quo ſe *Divina favente Clementia Regem* vocat, modò apud Meichel-

 bekium

bekium T. I. f. 146. & 147. & iteratò apud Eckhardum T. I. à f. 891. uſque ad f. 894. invenitur.

Qui impetravit Diploma Zacharias eſt Sabionenſium Præſul. Hunc ex alio Diplomate ad annum 888. T. II. Germaniæ ſacræ Vir Clariſſimus Hanſizius, & iterum ex alio de anno 903. Oettingæ dato affert, ac cum aliis Bavariæ Præſulibus, ibi conventum egiſſe, ſimilitérque An. 906. Holtzkirche cum aliis Epiſcopis conveniſſe idem contendit.

Reliqua in Clauſula *Data &c.* verba apud Eckhardum locis citatis invenire eſt.

Monogramma denique & ſigillum cum Inſcriptione in illo ſecundum omnes minutias expreſſum citatus Meichelbekius loco nobis jam dicto exhibet.

Audivimus nunc cultum S. Caſſiani Brixinæ capite priori, & hoc ipſo cultum ejusdem Sabionæ. Dedimus priori capite aliquid Vallis Brixinenſis deſcriptioni, ac ſitui examinando, ut cùm toties recurrat Brixinæ mentio, Lectores noſtri, qui locum aut non inſpexerunt ipſi, aut de antiqua ejusdem conditione nunquam reſciêrunt aliquid, aſſerta noſtra faciliùs intelligant: recurrétque hujus loci mentio iterum in Parte poſteriori, ejusdémque Sæculo VIII. & IX. conditio magis adhuc illuſtrabitur. Decet igitur, ut hoc loco etiam Sabionæ examen inſtituamus, ut ex ejus ſitu ac conditione non difficulter ea capiant iterum Lectores noſtri, quæ de urbe olim hac, Eccleſia Cathedrali duplici, ejúsque Epiſcopis toties allata jam ſunt, & afferentur in poſterum.

Emenſi igitur Vallem Brixinenſem tres circiter horas longam, dimidiam verò circiter latam ad oppidum Cluſinum pervenitur, quod vulgari hodie idiomate *Clauſen* vocitatur.

Ex hoc Oppido igitur Cluſinenſi, quod duabus, ut audivimus, horis Brixina diſtat, acclivis in montem aſcenſus eſt, cúmque non nihil ſupra ejus medium perventum fuerit, duo occurrunt Templa, Beatiſſimæ Virgini Matri ſacra, unum recentius prioris ſæculi, alterum perantiquum & anguſtius; fuit autem, ut examinanti patet, hoc totum jam olim usque ad Chorum ubi ara ſita eſt adjectum ædiculæ ſacræ, ex hodierno Choro conſtanti, quam ædiculam perrenni Traditioné S. Caſſianum Deiparæ erexiſſe ferunt.

Hujus

Hujus ego ſpatium nuper dimenſus ſum, & comperi latum fuiſſe pedes decem & longum duodecim.

In hoc tumulatum primò fuiſſe S. Ingenuinum tradunt; & ante non multos annos picturis adhuc antiquiſſimis undique ornatum fuit, quæ nunc albedine obductæ ſunt notis hinc inde hujus rei extantibus.

Aſcendenti deinde ulteriùs iterum Templum novum occurrit una cum Aſceterio Virginum Religioſarum ex præſcripto D. Benedicti viventium, hæ arcem Sabionenſem olim Caſtellani ac Burggravii ſedem ad finem prioris ſæculi in Monaſterium commutârunt multis nunc incolis frequens.

In Montis ſummitate demum ſe ſpectandum præbet ipſum Templum Cathedrale, opus rude ex lapidibus quadratis, aſcenditur ad hoc per gradus aliquot lapideos ſanè impolitos: Altare ſummum ſanctæ Cruci, duo lateralia SS. Epiſcopis Sabionenſibus & aliis Divis ſacra ſunt.

Supra Januam arca eſt muro infixa, cui hæc addita Inſcriptio:

In hac arca jacent Venerabilia oſſa plurium Reverendiſſimorum Epiſcoporum Sabionenſium, quæ ex ſuis ſepulchris A° 1628. primùm translata, & ſarcophago condita, A. 1709. pro majori decentia huc repoſita ſanctè requieſcunt.

In hoc igitur Templo Cathedrali hos Præſules cònditos fuiſſe certiùs eſt, cùm illud divinæ Matris à D. Caſſiano, ut fertur, conditum vix unum alterúmve ob anguſtias ſuas potuiſſet recipere.

Numerum Præſulum hîc ſepultorum ad viginti ſex aſcendere, Duplex Bulla Concilii Baſileenſis docet, ex qua pariter diſcimus, poſtea reſtauratam eſſe hanc S. Crucis Eccleſiam Cathedralem, hoc nomine etiam tum compellatam.

Exoptâſſem, dum An. 1628. hæc oſſa exhumata ſunt, ut quidam Viri harum rerum periti fuiſſent adhibiti, qui ſigna, lapides, laminas & alia ex quibus corpora Præſulum dignoſcuntur, ritè examinâſſent, & omnia Protocollo inſeruiſſent; nam tum habuiſſemus usque ad ſæculum X. (quo Brixinam translata fuit Sabionenſium Epiſcoporum Sedes) antiſtites, quotquot nempe ibi tumulati, & inventi ſunt. Vix enim credibile, poſt transla-

Digitized by Google

tam Cathedram aliquos ibi ſepultos fuiſſe Brixinenſes Epiſcopos: quin vix numerum diminueret, ſi etiam unus & alter ex primis migrantibus adhuc Sabionæ terræ mandatus fuiſſet.

Cur autem Sabionâ Brixinam migraverint, cauſa non eſt, quòd nunquam poſt ſuum excidium reſtaurata fuerit urbs hæc (ut aliqui opinantur); ſed longè probabilior illa videtur, quòd Locus commodior Brixina huic Eccleſiæ à Ludovico Germaniæ Rege An. 901. Zachariæ Sabionenſi Epiſcopo, ut mox audiemus, donata fuerit, quæ ſubin multorum beneficentia aucta, cultiórque reddita ad hujus Sæculi finem ſuos antiſtites ad ſe allexit.

Neque intelligi hîc oppidum ad pedem montis exſtructum Cluſinenſe poteſt, cùm urbis Sabionenſis Dominus in hoc Inſtrumento Epiſcopus dicatur, Cluſarum verò ſeu Cluſæ Dominus Imperator fuerit, urbs in monte erat poſita, Cluſa ad pedem montis. Nam Clauſam *ſub Sabione* ſitam primùm An. 1027. Hartwico Ep. Conradus II. Imp. donavit, & Henricus III. Imp. An. 1040. unà cum aliis poſſeſſionibus Cluſam ſitam *ſub Sabione* Popponi Epiſcopo noſtro confirmavit.

Charta enim adeſt S. Albuino vivente confecta, in qua urbs Sabionenſis ita conſtituta fuiſſe apparet, ut defendi potuerit contra proprium dominum, adeóque ſi reapſe excidium paſſa aliquando fuerit, certò reſtaurata credi debeat; ſic enim in Libro donationum Charta Pagenſis mihi N° V. ſonat:

„ Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus qualiter quidam venerabilis Vir nomine Wago, in quadam diſſenſione Epiſcopalis ſedis urbem, quæ dicitur Sabienna, contra ſuum proprium Dominum Epiſcopum Venerabilem Albuinum, incitatu cujusdam Ratpotonis defendendam ingreſſus eſt. Pro cujus delicti emendatione animæque ſuæ pro remedio tradidit ad S. Caſſianum M. partem ſuæ proprietatis id eſt duas hobas, unam in loco qui dicitur Vieres, * aliam in loco, qui dicitur Prixina, in manum Venerabilis Epiſcopi Albuini, & Advocati ſui Rodani, in proprium poſſidendas Eidem Epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis. Cujus rei teſtes ſunt Herizo, Riheri, Gundolt, Alpigis, Adalger, Gozpreht, Ruodolf"

(* Fierſch hinter Seben.)

Præ

Præ cæteris verò hîc ſilendum non eſt, ob dicatam Beatiſſimæ Virgini à S. Caſſiano Eccleſiam non improbabiliter dein locum, ubi Epiſcopus cum Canonicis habitabat, *Monaſterium S. Mariæ* dictum fuiſſe. Sic enim illud vocat in Diplomate ad annum 1028. Conradus ſecundus Imperator, dum Cluſas ſitas in loco *Sebonna* ad *Monaſterium Sebonna* dicto tradidit. Tenor Diplomatis his continetur:

„In Nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis Cuonradus di„vina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus, ad „præſentem proſperitatem & ad æternam ſpem ſibi proſpectum „parat, quisquis Eccleſias Dei vel à Fundamento locat, vel à „perverſis dirutas reintegrando locupletat, quæ copia cùm ma„ximè Regibus vel Imperatoribus præſto fuiſſet, ex quo Chri„ſtianæ Religioni colla ſubdiderunt, pium ac rationabile nobis „videtur, nil ab his deviare, quibus credimus Anteceſſores no„ſtros ſibi æternam requiem promeruiſſe, unde Dei noſtrorúm„que Fidelium Univerſitati tam præſentibus quam poſteris no„tum eſſe cupimus, qualiter dilectus noſter Aribo Moguntinæ „ſedis Venerabilis Archiepiſcopus & Brunno Auguſtenſis Eccle„ſiæ Epiſcopus celſitudinem noſtram adierunt humiliter obſe„crantes, ut Cluſas ſitas in loco Sebonna, in Pago Orital in „Comitatu Engelberti cum telonio & cum omni utilitate, quæ „ullo modo inde provenire poterit, ad Monaſterium Sebonna „dicto in honorem S. Mariæ conſtructum per noſtrum imperiale „præceptum traderemus. quorum petitioni, pium, ſicut juſtum „erat, aſſenſum præbentes ob interventum dilectæ Conjugis no„ſtræ Giſelæ Imperatricis Auguſtæ & unici filii noſtri Henrici „Regis, nec non Adalberonis Carenthani Ducis ſupraſcriptas „Cluſas ad præfatum Monaſterium per hoc imperiale præceptum „firmiſſime tradidimus; ea videlicet ratione, ut Hartuicus ejus„dem Eccleſiæ Epiſcopus ſuique ſucceſſores liberam dehinc po„teſtatem de iisdem Cluſis habeant, tradendi, vendendi, com„mutanti, vel quidquid ſibi placuerit, inde faciendi ad uſum ta„men præſcripti monaſterii. & ut hæc noſtræ Traditionis Au„thoritas ſtabilis, inconvulſáque perſeveret, hanc Chartam in„de conſcriptam, ſubtúsque manu propria roboratam ſigilli no„ſtri Impreſſione juſſimus inſigniri:

 „Signum

„ Signum Domini Chuonradi inviƈtiſſimi Romanorum Impe-
„ ratoris Auguſti.

v

„ Odalricus Cancellarii ad vicem Aribonis Archicancel-
larii not. - -

„ Data VIII. Kal. May Indiƈtione XI. anno Dominicæ Incarna-
„ tionis MXXVIII. anno autem Domini Chuonradi II. Regni
„ IV. Imperii verò II. Aƈtum Aquisgrani in Domino feliciter.
„ Amen.“

Formulam Invocationis, Titulaturam, & Intimacionem probat Reverendiſſimus Beſſel f. 250.

Subſcriptio cum Monogrammate ſpeƈtatur apud Meichelbekium in Diplom. Friſing. f. 228. & Sigillum in alio f. 224. Sola Littera C in medio facit, ut Monogramma noſtrum differat ab illo tertio Ducangii hujus Conradi Imp. in Gloſſ. Med. ævi h. V. f. m. 744. de hac varietate differit idem Gottvicenſis f. 246.

Archicancellarium & Cancellarium illi ipſi Meichelbekius nempe cit. f. 224. & Beſſelius f. 254. probant. Poſterior f. 259. etiam annos Regni.

Indiƈtio & Annus ritè conveniunt; nihil igitur omnino eſt, quod ſinceritati hujus Diplomatis poſſit officere.

Sunt autem (ait Ducangius ad hoc verbum) *Eccleſiarum Cathedralium Monaſteria diƈta, quòd Canonici, qui in iis ſacra munera obirent, ſub Epiſcopo ſuo vitam non multùm à Monaſtica diverſam agerent, quare eorum habitatio Monaſterium dicebatur.* Probat hoc ex Mariano Scoto ad annum 1058. *Podelbrunna Civitas cum duobus Monaſteriis, id eſt, Epiſcopatûs & Monachorum Feria VI. ante palmas igne conſummitur.* Huic igitur Sabionenſi ſeu Eccleſiæ ſeu Monaſterio varia contulêre Privilegia Carolus M. & Ludovicus pius, ut Diplomata Ludovici IV. Imp. anno 909. Conradi I. Regis An. 967. & Ottonis Imp. II. An. 977. in eodem Tabulario diſertam illorum mentionem, dum ea confirmant, faciunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XI.

Ac Decimo.

A nono, quod attulimus, pronus eſt ad ſæculum X. tranſitus, ac primo ſtatim anno præceptum Ludovici IV. proponimus:

„In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Hludovicus „divina favente Clementia Rex. Si Fidelium noſtrorum petitio„nibus, quas pro utilitate Eccleſiarum, quibus præſunt, liben„ter annuimus, eos credimus inde devotiores in noſtro exiſtere „obſequio, & omnipotentis Dei gratiam ob hoc promereri; Qua„propter noverint omnes fideles noſtri præſentes ſcilicet & fu„turi, Qualiter S. Seponenſis Eccleſiæ venerabilis Præſul nomi„ne Zacharias per interventum venerabilium Pontificum Diet„mari, quoque Adalperonis, Waldonis ſcilicet, Erchanpaldi „atque Tutonis Clementiam noſtram precatus eſt, ut quamdam „Curtem inter Convallia Comitatu Radpoti conſiſtentem, quæ „dicitur Prichſna, quam etiam pius genitor noſter Arnolfus Im„perator auctoritatis ſuæ præcepto dilectæ Matri noſtræ Otæ Re„ginæ conceſſum habuit, quamque eadem mater noſtra poſt evo„lutum temporis intervallium noſtro juri conſultu fidelium no„ſtrorum relaxaverat, ſupplicante videlicet unà cum præfatis „Epiſcopis Luitpoldo Comite Nepote noſtro ad præſcriptam Ec„cleſiam in proprium donaremus. At nos per tantorum ratio„nabilem Virorum ſupplicationem imò ob Beatorum Stephani „Proto-Martyris & Caſſiani Venerationem ſub quorum honore „eadem dicata micat Eccleſia ita fieri decrevimus, Et quia idem „Epiſcopium nulla parentum noſtrorum auctum conſtat Guber„natione, quin potiùs in Curia antiquorum illius proviſorum „admodùm eſt minutum, & attenuatum ſed & nimia parvitatis „paupertate dignoſcitur exiguum, pro parentum noſtrorum æ„terna liberatione, animæque noſtræ remedio ad accumulandum

„id

„ id ipſum Epiſcopium ante dictam Curtem ad Seponenſem Eccle-
„ ſiam perpetuo jure cum Integritatibus ſuis in proprietatem do-
„ navimus &c. Et ut hoc veriùs credatur, diligentiùsque con-
„ ſervetur, manu noſtra id firmavimus, annulo noſtro ſigillari
„ juſſimus.

„ Signum Domini Hludovici ſereniſſimi Regis.

„ Engilpero Not. ad vicem Diotmari Archicapellani recognovit.

„ Data X. Septembris anno Dominicæ Incarnationis DCCCCI.
„ Indictione IV. anno verò Regni Ludovici pii Regis II.

„ Actum Civitate Radaspona feliciter in Dei nomine Amen.“

Ludovicum hunc Arnolfi filium, quem aliqui tertium, quartum alii, & infantem appellant, ad initium anni 900. electum Eckhardus T. 2. f. 788. tradit. Sunt, qui diem electionis 19. Januarii fuiſſe docent, annus igitur Regni II. ritè ſe habet, uti & annus Chriſti 901. cum Indictione IV.

Initium & titulus ſimilis: idem Notarius & Archicapellanus tum apud Meichelbekium T. I. f. 153. tum apud Eckhardum T. I. f. 800. occurrunt.

Monogramma par omnino iterum Meichelbekius T. I. f. 153. & ſigillum Eckhardus T. I. f. 821. depinxit, ut adeò nihil ſit, quòd jure reprehendi poſſit.

Ad alterum igitur ejusdem Ludovici Diploma progredimur.

„ In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ludovicus di-
„ vina favente Clementia Rex. Noverint omnes in regno no-
„ ſtro circumquaque fideles præſentes ſcilicet, & futuri. quia Vir
„ Venerabilis Meginbertus Sabionenſis Eccleſiæ Epiſcopus, quæ
„ eſt conſtructa in honorem S. Caſſiani Martyris, noſtrum adiens
„ clementiam, obtulit nobis quædam præcepta, in quibus con-
„ tinebatur, qualiter Venerandæ memoriæ Anteceſſores noſtri
„ Ludovicus Imperator & æquivocus ejus Ludovicus Rex proa-
„ vus noſter nec non etiam Arnolfus Imperator Genitor noſter,
„ prædictam ſedem & Eccleſiam cum omnibus ad eam pertinenti-
„ bus propter malorum hominum tergiverſationes ſub illorum
„ defenſione, & Communitatis tuitione roboraſſent, petiitque
„ nos.

„ nos. &c. Et ut hæc Auctoritas noſtris, futurisque tempori-
„ bus domino protegente valeat inconvulſa manere, manu pro-
„ pria eam ſubter firmavimus, & annuli noſtri Impreſſione aſ-
„ ſignari juſſimus.

„ Signum Hludovici Sereniſſimi Regis.

„ Salomon Cancellarius ad vicem Pilegrini Archi-
capellani recognovi.

„ Data X. Kal. Febr. Anno ab Incarnatione Domini DCCCCIX.
„ anno verò piiſſimi Regis Hludovici IX. Indict. XII.

„ Actum ad Holzch - - - in Dei nomine feliciter. Amen."

De Ludovico Rege non eſt, quod hîc repetam: ſic ex iis, quæ diximus, annus Chriſti 909. cum anno 9. aptè, uti & Indictio convenit.

Eadem porrò eſt Inſcriptio ſigilli & ſigillum ipſum, quale de hoc Principe Eckhardus T. I. f. 829. exhibet.

Exordium & finis, Cancellarius & Archicapellanus iidem, qui apud nos, apud eundem rurſus Eckhardum cit. T. I. de anno 811. f. 899. inveniuntur; ut adeò de hoc pariter Diplomate nullus ſcrupulus remaneat.

De Meginberto autem Epiſcopo adhuc notandum eſt, toties laudatum Eckhardum T. I. f. 828. ex Goldaſti Scriptoribus Alemannicis excerpſiſſe, quòd hic Meginbertus Sabionenſis Epiſcopus A. 898. celebrem illum Adalberonem Epiſcopum Auguſtanum ad ſanctum Gallum comitatus fuerit.

Excepit in Regno Germanico Ludovicum Conradus primus, id anno 911. factum eſſe ex optimis Scriptoribus Eckhardus T. II. L. 33. f. 830. colligit.

Idem igitur Conradus quadriennio poſt omnia hactenus Eccleſiæ Sabionenſi Privilegia ab anteceſſoribus conceſſa in hunc modum confirmavit:

„ In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Chuonradus
„ divina favente clementia Rex. Noverint omnes in Regno no-
„ ſtro circumquaque fideles præſentes ſcilicet & futuri, quia Vir
„ Venerabilis Meginbertus Sabionenſis Eccleſiæ Epiſcopus, quæ
„ eſt constructa in honorem S. Caſſiani Martyris noſtram adiens
„ clementiam obtulit nobis quædam præcepta, in quibus conti-

„ nebatur, qualiter venerandæ memoriæ Anteceſſores noſtri Ca-
„ rolus Magnus, Ludovicus Imperator, & æquivocus ejus Lu-
„ dovicus Rex, nec non etiam Arnolfus Imperator, & filius ejus
„ Ludovicus Rex prædictam ſedem & Eccleſiam cum omnibus ad
„ eam pertinentibus propter malorum hominum tergiverſationes
„ ſub illorum defenſione & Immunitatis tuitione roboráſſent, pe-
„ tiitque nos. &c. Et ut hæc auctoritas noſtris, futurisque tem-
„ poribus Domino protegente valeat inconvulſa manere, manu
„ propria ſubter eam firmavimus, & annuli noſtri Impreſſione
„ aſſignari juſſimus.

„ Signum Domini Chuonradi ſereniſſimi Regis.

„ Acta Nonis Julii. Anno Incarnationis Domini DCCCCXVI.
„ Ind. IIII. anno verò Regis glorioſiſſimi Chuonradi V. actum
„ in loco Niuuvenburg dicto in Dei nomine feliciter Amen."

Exordium hujus Diplomatis ſimiliter prorſus apud Eckhardum T. I. f. 899. legimus: Sicuti Invocatio divini nominis in Gotwicenſi f. 89. eadem comparet. Sigillum & ejus Inſcriptionem idem Præſul folio eodem, uti & lanceam cum ſcuto in ſigillo (nam ita etiam in noſtro ſunt) à p. 109. defendit. Indictio & annus Chriſti ritè concordant.

Vergente demum ad finem Sæculo X. Otto II. Imperator S. Albuino omnia Sabionenſis Eccleſiæ Privilegia, quæ Imperatores ac Reges, qui ipſum præceſſerant, eidem contulêre, hoc firmavit Diplomate:

„ Otto divina favente Clementia Imperator Auguſtus. No-
„ verint omnes fideles præſentes & futuri, qualiter Vir Venera-
„ rabilis Albuinus Sabionenſis Eccleſiæ Epiſcopus noſtram adiens
„ clementiam obtulit nobis quædam præcepta, qualiter Veneran-
„ dæ memoriæ Anteceſſores noſtri Carolus Magnus, Ludovicus
„ Imperator, & æquivocus ejus Ludovicus Rex, nec non etiam
„ Arnolfus Imperator, & filius ejus Ludovicus Rex, prædictam
„ ſedem & Eccleſiam cum omnibus ad eam pertinentibus ſub illo-
„ rum defenſione & Immunitatis tuitione propter malorum ho-
„ minum tergiverſationes roboráſſent, petiítque noſtri clementiam,
„ ut hoc ipſum ob mercedis noſtræ augmentum renovaremus &c.
„ Et

„ Et ut hæc auctoritas noſtris futuriſque temporibus Deo protegente inconvulſa permaneat, manu propria ſubter eam firmavimus, & annuli noſtri Impreſſione aſſignari juſſimus.

„ Signum Domini Ottonis invictiſſimi Imperatoris Auguſti.

„ Hiltibaldus Cancellarius ad vicem Willigiſi archicapellani.

„ Data XVI. Calend. Jun. Anno Domini DCCCCLXXVII.
„ Indict. V. Actum Saxoniæ in loco; qui dicitur Solega.“

Ottonem hunc II. anno 961. die Pentecoſtes à Patre Ottone Magno in Comitiis Wormatienſibus Regem conſtitutum, & in principio 968. imperiali diademate inſignitum fuiſſe ex probatiſſimis Hiſtoricis Reverendiſſimus Gotwicenſis T. I. L. 2. f. 204. edocet.

Formula Invocationis ritè in hoc noſtro comparet, nam ita illam in ſuis Diplomatibus adhibuiſſe Ottonem, idem Gotwicenſis p. 195. docet. Neque à ſe invicem diſſentiunt annus Chriſti & Indictio.

Adhibuit rurſus idem Imperator voculam *manu propria,* quam idem Author f. 252. adnotavit. Exhibuit quoque Diploma aliud ejusdem Cæſaris æri inciſum, ac excuſum, ibi monogramma, uti & ſigillum ipſum cum ejus Inſcriptione, quod noſtro in omnibus (ſceptro præcipuè & pomo imperiali cui crux impoſita) tam ſimile eſt ut ovum ovo, ſola corona imperialis in pauculis differt, quæ nemo moratur.

Hiltibaldus dein in noſtro tanquam Cancellarius, & Willigiſus Archicapellanus inſerti ſunt, quemadmodum illi ipſi ſcripti ſunt in jam citato inciſo æri Diplomate.

Non ineſt equidem huic Confirmationi S. Caſſiani nomen; cùm verò in illis, quæ laudat, Diplomatibus Ludovici Imperatoris, & Ludovici Regis, rurſúmque Arnolfi Imperatoris, iterúmque Ludovici Regis Eccleſia S. Caſſiani conſtanter nominetur; alia hìc intelligi nequit, quàm illa ipſa, cui omnes hi ſua contulerant privilegia; utpote cùm rogantes & impetrantes ſemper iidem fuerint, Sabionenſes nimirum Epiſcopi, réſque eadem pari-

ter occurrat, bonum nempe Eccleſiæ ſibi concreditæ, quàm S. Caſſiani Eccleſiam vocant, Diplomata reliqua.

Atque his finiuntur Sæculi X. Diplomata. Poſſemus etiam ulterius pergere, & monſtrare Diploma Henrici II. de anno 1011. quo Adalberoni S. Sabionenſis Eccleſiæ in honore S.S. Caſſiani M. & S. Ingenuini conſtructæ Caſtellum Veldes donat, & alterum illius de anno 1020. quo Heriwardo Brixinenſi Epiſcopo, nec non & Eccleſiæ in honorem S.S. M[is]. Caſſiani & Ingenuini Abbatiam Diſſentinenſem confert. Item Conradi II. quo anno 1027. Hartuico Brix. Ep. & S. Brixinenſi Eccleſiæ in honorem S. Caſſiani M. nec non etiam S. Ingenuini conſtructæ comitatum Welſoni commiſſum largitur. Rurſum Henrici III. de anno 1040. quo Popponi Epiſcopo S. Brixinenſis Eccleſiæ in honorem S. Caſſiani M. conſtructæ quoddam prædium in Marcha; & aliud, quo ſimile prædium in Chreina, concedit: & Henrici IV. de anno 1056. iterum prædium in eadem Marcha tribuit, & An. 1091. Comitatum in Valle Puſtriſſa &c. atque hæc omnia in honorem SS. Caſſiani & Ingenuini.

Attuliſſem hæc omnia per excerpta longiora, quæ ex meis integris (nam autographa deſcripſi, & contuli) mihi facilè ſuppeterent, niſi adverſarii noſtri Traditiones noſtras ſæculis XI. XII. XIII. Fabularum feraciſſimis natas dixiſſent.

CAPUT XII.

Per Chartas quoque Pagenſes eodem tempore complures.

Ne autem Critici noſtri tot Diplomatibus incuſſæ Authoritatis hanc ſaltem notam inurere poſſint, ab extraneis nempe Librariis rerum ignaris hæc confecta fuiſſe, eapropter præſtabit unam eandémque Traditionem pari ratione in Inſtrumentis quoque domi confectis conſervari, paucis docere.

Char-

Chartam ſub Antone electo confectam ſuperiùs c. 6. legimus, nunc audiamus alteram, in qua tum ſub Wiſumpto, tum ſub Richperto Epiſcopis iterum Cultûs S. Caſſiani monumentum occurrit: qui uterque circa medium Sæculi X. Sabionenſem rexerunt Eccleſiam. In Libro igitur Traditionum A A A. p. 47. hanc Chartam invenio:

„ Notum ſit omnibus, qualiter quædam mulier nomine Ir-„ minlind tradidit ad Eccleſiam S. Caſſiani cum manu Advocati „ ſui Huogonis Epiſcopo Wiſuntoni & Advocatis ejus Wolfol-„ do & Paponi proprietatem, quam habuit in loco nuncupato „ Perge in huoſi, ædificiis, campis, pratis, paſcuis, ſylvis, a-„ quis, aquarúmve decurſibus, exitibus & reditibus, & cum o-„ mnibus illuc pertinentibus. E contra verò tradidit prædi-„ ctus Epiſcopus Wiſunt cum Advocatis ſuis Vuoluoldo & Pa-„ pone. Conſilio ſuorum Clericorum ac Laicorum prenomina-„ te Irminlinde & Advocato ejus Huogoni in loco nuncupato „ Ouxuuenes, ſimplicia contra duplicia prædictæ Traditionis. „ Niſi Curtiferum, etiam Curtiferum ædificiis, campis, pratis, „ paſcuis, ſylvis, montibus, planitiebus, exitibus & reditibus, „ aquis, aquarúmve decurſibus, quæſitis & inquirendis, atque „ cum omnibus illuc pertinentibus habendi & in perpetuum „ poſſidendi; Iſtius teſtes utriusque Traditionis, Wiſunt, Pe-„ ringer, Racpot, Weſelinc, Wolafrid, Paldram, Lantpold, „ Lantpercht, Wago, Dadalhoh, Walpercht, Engilpercht, „ Richpert, Immolf, Heripercht. Actum eſt in loco Prixina „ VIII. Kal. Nov. Per ea verò renovavit veniens Epiſco-„ pus Richpertus prædictam traditionem cum prænominata Ir-„ minlinda ſimili tenore, ut antea Epiſcopus Wiſunt. Et iſti „ ſunt inde Teſtes Erichpercht. Papo. Engilpercht. Wiſunt. „ Megingoz. Adalpercht. Fruotheri. Peringer. Gundolt. Huo-„ go. Imici. Junchram. Vuilahalm. Huospercht. Heriwich. Si-„ gibaſt. Sindpercht. Actum eſt in Idibus Apr. in loco nuncu-„ pato Alpines, ſub Rege Ottone, Comite Ratpoto."

Richpertum ante D. Albuinum multis annis Sabionenſi præfuiſſe Eccleſiæ etiam ex Diplomatibus manifeſtum fit: nam Anno

977. S. Albuino ab hoc ipſo Ottone confirmata fuiſſe omnia Sabionenſis Eccleſiæ Diplomata Capite priori audivimus, huic autem Richperto idem

„ Otto (ſecundus) Rex antiquam Capellam, quam olim Anteceſſor beatæ memoriæ Hludovicus Imperator conſtruxerat „ in honorem S. Dei Genitricis Mariæ, & modò dilapſa eſt at- „ que diſtructa, & eſt ſita in Radaspona Civitate & quam prius „ Venerabilis memoriæ pius genitor Otto Imperator Auguſtus „ reminiſcens illius priſtini ſervitii præfato Epiſcopo usque ad „ obitum vitæ ipſius in proprietatem donaverit, etiam ipſe usque „ in obitum ipſius vitæ in proprietatem donavit.

„ Brichſinæ Id. Octobris anno dominicæ Incarnationis 967. „ Indict. 10. anno verò glorioſiſſimi Regis Ottonis ſeptimo.“

Autographum exſcripſi ipſius, & ad Critices regulas exactum deprehendi.

Nunc verò pro majori authoritate complures chartas Pagenſes afferemus, quas ex Libro Traditionum tempore S. Albuini ſæculo nempe decimo conſcriptas (ita hactenus omnes, qui codicem viderunt, & contextum, ſine hæſitatione judicârunt) & potiori ex parte ab ipſo S. Præſule ipſius interventu aut à ſuis confectas ex Tabulario Brixinenſi ipſemet excerpſi.

Neque ipſe duntaxat Albuinus, ſed tota ejus nobiliſſima Familia in hanc ſedem beneficentiſſima fuit. Adeò ut tot recurrant identidem hujus Sancti & ſuorum chartæ Donationum, Traditionum, Concambiorum, ut ego magnam partem hujus S. Epiſcopi majorum & conſanguineorum Stemma ex ſolis his chartis eruere potuerim, quòd ad conciliandam etiam ulteriorem huic Codici authoritatem hîc afferendum duxi.

Udalber-

Udalbertus.

Uxor N.

Pero. — Albuinus.

Uxor Hildegardis.

Hartuicus — Arpeo ſeu Aripo Marchi Comes. — Albuinus Epiſcopus. — Geppa Maritus Pezzelinus. — Wezzela.

Filii afferuntur in Chartis, ſed ſine nomine.

Nec tantùm Majores, Fratres & ſorores, ſed etiam ſoror S. Albuini Matertera cum marito ac tota eorundem progenie occurrunt ſic:

Perechſuinda

Hadamarus.

Hildigard. — Tritta. — Uta.

Eberhard Gerhoh Wolfhold.

Jacob, Gerold, Timar, Herinpert.

Sunt

Sunt autem in hoc Codice contenta, quæ S. Ingenuinus Epiſcopus non tantùm, ſed etiam, quæ adhuc Diaconus geſſit. Hanc etenim Chartam in eodem Codice (numeravi, & eſt numero XXVII. Collectionis II.) inveni:

Noverint omnes Chriſti Fideles, qualiter tradidit Hildigard filio ſuo Albuino Diacono quoddam prædium, quod dicitur Stein, cum octo bobis Sclavaniſcis adjacentibus; quod ipſe poſſideat in proprietatem usque ad obitum vitæ ſuæ, & poſt obitum vitæ ſuæ Frater ſuus accipiat, cui ipſa velit, & aliud prædium, quod adjacet de rivo Grinnach usque inter duas lacus, cum omni hac parte quod Patruus ſuus Pero tenuit, poteſtative & donet, cuicunque velit. Iſti ſunt teſtes Aripo, Pero, Hartuic, item Hartwic, Perehart, Megingo, Einhart, Ribberi, Erchanger, Hiltipold, Enzit item Enzi, Ribberi, & Udalrih.

Sic iterum, dum Epiſcopus jam erat, Eccleſiæ ſuæ Sabionenſis negotia in honorem S. Caſſiani ritè peregit: ita autem loquitur Inſtrumenti ſynopſis numero ſtatim primo in illo Codice contenti:

Notum ſit - - - - Convenit inter Venerabilem Etichonum Auguſtenſis Eccleſiæ Epiſcopum. Et inter Albuinum Sabionenſis Eccleſiæ Epiſcopum - - - - tradidit idem Epiſcopus Etich, quidquid agrarii aut in aliquibus rebus Tributi de loco Vellis, ut de loco Suiſis, & de loco Caſtello rupto, ad dei Caſam S. Mariæ, quæ eſt ſita in Auguſta - - - - in manus jam dicti Albuini Epiſcopi & Advocati ſui Rodanis ad Altare S. Caſſiani, quod eſt in Sabienna, poteſtative firmitérque poſſidendum. E contra tradidit idem Albuinus Epiſcopus quicquid agrarii aut in aliquibus rebus tributi de Suſſanna, ad Altare S. Caſſiani, quod eſt in Sabienna, cui proviſor præerat.

Teſtes numero 23. quos deſcribere ſolis nominibus haud neceſſarium viſum eſt.

Sic quoque ut capite X. audivimus, Vir nobilis Wago, eò quod urbem Sabionam contra ſuum proprium dominum, contra ſuum nempe Epiſcopum Albuinum incitatu cujusdam Ratpotonis defendendam ingreſſus ſit, pro pœna tradidit ad S. Caſſianum hobas duas in Vieres & Brixina.

Et rurſùm N° VI. Nobilis Vir Arnix in loco Wibitina & Lius (bona quædam) in manus Venerabilis Epiſcopi Albuini & Advo-

Advocati ſui Rodani ad Eccleſiam S. Caſſiani firmiter tenendam tradidit &c. coram teſtibus quinque.

Sicuti autem promovendi cultûs Sabionæ S. Caſſiani ſtudioſiſſimus fuit S. Præſul noſter, ita dum Brixinæ jam à multo tempore cultus S. Ingenuini ſingulariter invaluiſſet, incredibile eſt, quantum utriusque cultum ibi promoverit.

Ego certè ex Libro Donationum ſub ſolo hoc ſancto antiſtite factarum excerpſi, pro Geographia medii ævi chartas numero novem, in quibus utriusque Sancti titulus occurrit.

N° XVI. *Concambium cum nobili Lutto ad Eccleſiam S. Caſſiani & Ingenuini proprietatem in loco Teſſelinperch, in loco Utenheim &c. Teſtes per aures tracti.* (ſequuntur quatuordecim ſolis nominibus deſcripti.) Actum eſt X. Kal. Febr. anno dominicæ Incarnationis 993. in loco Uſhovon ſub Ottone III. Rege.

Plures verò chartas de ſolo S. Ingenuino in parte altera afferemus, quæ ad tempora S. Albuini ſæculum X. pertinent.

Neque ſæculo undecimo ſegnes fuêre antiſtites noſtri in promovendis tum S. Caſſiani tum S. Ingenuini honoribus.

Sic Hartuici Epiſcopi temporibus tres inveni chartas utrique ſancto inſcriptas.

Sub Altwino quoque ſoli Caſſiano circiter quinque: binis autem his SS. Præſulibus circiter quatuor & viginti omnino.

Temporibus Popponis verò (poſtea Damaſi II. ſummi Pontificis) S.S. Caſſianum & Ingenuinum ſimul loquentes Chartas longè ultra viginti Traditiones, donationes, & Concambia lego.

Verùm his, quia ad ſæculum jam undecimum pertinent, non immoramur.

CAPUT XIII.

Quæ univerſim de S. Caſſiano Martyre Imolenſi & Epiſcopo Sabionenſi ritè intelligi poſſe videntur.

Sed demus, inferet fortaſſis non imperitus quiſpiam, Anonymum Mabillonianum non invictum prorſus argumentum præbuiſſe, quo S. Ingenuinum primum dixit Sabionæ Epiſcopum, ex hoc tamen minimè argui poſſe, S. Caſſianum Martyrem Imolenſem, & nullum alium primum fuiſſe hujus ſedis Antiſtitem, eò quòd neque documenta allata hunc ullibi Epiſcopum compellent, & cultûs ratio hæc eſſe poſſit, ut jam aliis quoque Viris doctis viſum, quòd Sabionenſis & Brixinenſis Eccleſiæ Patronus fuerit, aut inſignes fortaſſis S. Martyris Imolenſis Sacras Corporis Reliquias eadem veneretur Eccleſia.

Verùm & has objectationes dilui poſſe ſperamus; & illam, quidem, quòd diplomata & Chartæ nomen Epiſcopi ſileant, jam in Conjecturis noſtris p. 27. rejecimus, monſtravimúſque ex Diplomatibus Salisburgenſibus, nunquam Epiſcopi, ſed vel *Confeſſoris* tantùm, vel nullo etiam titulo ornari S. Rupertum, primum Epiſcopum: Sic in Paſſavienſibus S. Valentinus ſolùm *Confeſſor Dei* & *Chriſti* audit: & S. Maximilianus neque *Martyr*, neque *Epiſcopus* vocatur: qua tamen utraque prærogativa citrà controverſiam gaudet. Innumeras ferè etiam Chartas Pagenſes, & Diplomata nonnulla Eccleſiæ Friſingenſis laudavimus, in quibus omnibus Divus Corbinianus non *Epiſcopi* ſed *Confeſſoris Chriſti*, aut *Confeſſoris* duntaxat elogio honoratur. Bina quoque ex Ughelli Italia Sacra Tridentina adduximus Diplomata, quibus S. Vigilius *pretioſi* duntaxat *Martyris*, non autem *Epiſcopi* titulo inſcriptus eſt. Membranæ inſuper Ratisbonenſes de S. Emeramo *Martyre* duntaxat,

taxat, nunquam de *Epiſcopo* loquuntur, quòd iterum videre eſt in Hundii Diplomatibus illius Cathedralis Eccleſiæ.

Neque aliud Tabularium Brixinenſe de D. Ingenuino certo Epiſcopo noſtro præbet Teſtimonium; in Diplomatibus enim Ottonis II. Henrici Sancti, & Henrici IV. ſine ullo addito alio, ſed ſolo tantùm nomine ſuo exprimitur: in tribus autem Henrici II. & uno Conradi pariter II. hoc ipſo *Confeſſoris* duntaxat titulo exprimitur, & Henricus IV. Imp. eundem *Tutorem* quidem *invictiſſimum*, nunquam verò *Epiſcopum* compellat.

Qualis autem Diplomatum, talis Chartarum Pagenſium ab octavo usque ad ſæculum XIII. tenor eſt: quàmplurimæ etenim licèt illæ ſint, nunquam tamen Epiſcopum S. Ingenuinum noſtrum cognominant. Notavi hoc ſub Antone & Richperto Epiſcopis ſemel duntaxat, ſub S. Albuino quinquagies circiter, rurſúmque decies ſub Hartwico: ultra trigeſies iterum ſub Poppone, dein Damaſo II. ſummo Pontifice, & ſub Altwino fermè quadrageſies: aliquoties dein ſub Hugone, Reginberto, B. Hartmanno & Henrico.

Imo potiùs (Notariorum errore ſanè notabili) *Martyrem* quàm *Epiſcopum* dictum in Diplomatibus noſtris hunc Sanctum Præſulem Ingenuinum invenio; uti videre eſt in Diplomate S. Albuino ab Ottone II. Imp. & Popponi ab Henrico III. conceſſis. Adeò nempe inſolitus Epiſcopi titulus in Diplomatibus & Chartis fuit, quando de eorum Eccleſiis ac Patrocinio mentio erat facienda.

Videtur ſanè conſenſus illorum ſæculorum in noſtra vicinia, quaquaverſum omni, mirus adfuiſſe, & quaſi uſu Diplomatico introductum, SS. Præſules nunquam *Epiſcopi* nomine, ſed aut ſolo tantùm *Confeſſoris* titulo, aut *Martyris* prærogativa inſignire.

Verùm non attento hoc Diplomatum Chartarúmque Pagenſium tenore Vir Clariſſimus Pater Petrus Boſchius unus ex celeberrimis Bollandi Continuatoribus, dum acta S. Caſſiani noſtri T. II. Auguſti examinat, § III. n. 25. ſic infit: *Hoc certum videtur, quòd alicujus S. Caſſiani Martyris nomine (non utique ſinè ejusdem reliquiis dedicatæ olim fuerint Eccleſia Cathedralis, tum Sabionenſis, tum poſterior Brixinenſis &c.* tum affert, de prima id diſertè

I 2 trade-

tradere Diploma Ludovici IV. A° 909. quòd nempe in honorem S. Caſſiani, & iterum de anno 1027. quòd in honorem S. Caſſiani Martyris, nec non & Ingenuini Confeſſoris conſtructa ſit. Hoc S. Caſſiani Patrocinium fortaſſis anſam præbuiſſe, doctiſſimus Roboretanus ſcriptor pariter cenſet, quòd eundem tanquam Epiſcopum coluerimus, quódque inde opinio nata ſit, hunc Sanctum Martyrem noſtrum fuiſſe Apoſtolum, & primum Antiſtitem, tum addit: *hanc receptam vulgi opinionem vel ex hac vel quacunque alia de cauſa ortam ambabus ulnis excepiſſe Bartholomæum Tridentinum, & aliis venditaſſe: præter eam*, pergit, *nullus profecto divinus nuntius, nulla cælitùs immiſſa lux adfuit, quæ rem oblivione ſepultam atque obſoletam erueret, indicarètque.*

Dixi equidem p. 28. in Conjecturis meis, templum primum eſſe illud, quod D. Caſſianum exſtruxiſſe ferunt: & alterum (addidi tamen: *ni fallor*) tum Sabionæ D. Caſſiano poſt reſtauratam à Theodone II. Bavariæ Duce ſedem exſtructum fuiſſe credidi, eò quòd antiquiſſima in hujus Principis regia Ratisbona eidem S. Caſſiano Epiſcopo & Martyri ſacra ædes dicata ſit. Dixi rurſum p. 35. quod Burgklechnerus oblitus fuerit Templi utriusque Cathedralis Sabionenſis ac Brixinenſis honoribus hujus S. Caſſiani noſtri conſecrati. Dixi id ſanè, nam ita & non aliter intelligi poſſe ea, quæ tum vidi Diplomatum apographa, mihi perſuaſeram. Verùm ubi autumno elapſo longè plura, eaque autographa vidi Diplomata: complurimásque Pagenſes, ut vocant, Traditionum Chartas; cum his in ipſo Brixinenſi Tabulario contuli, & excerpſi: imò dum ea quoque de cauſa Sabionam ipſam acceſſi, paulatim hæſitare cœpi, an Diplomata de ipſa ſtructura materiali horum Templorum, eorúmque Sanctis, qui in his præcipuè colerentur, an verò potiùs de Eccleſia quadam, ſeu Congregatione fidelium, quæ in hoc loco à Divo Caſſiano primo olim Apoſtolo collecta fuiſſet, forſitan intelligenda foret, qui cætus fidelium dein veluti fundamenta jeciſſet totius Diœceſis ampliſſimæ, de qua hic Sanctus Martyr inter cæteros fortè Viros Apoſtolicos omnium plus meritus fuiſſet, hócque in loco etiam publicum fortaſſis ac primum in tota Diœceſi templum exſtruxerit, aut curſum miſſionis Apoſtolicæ cœperit, finierit, vel ad minimum feliciori, quàm in reliquis locis fructu peregerit: ut nihil dicam, multa ibi pati

potuiſſe,

potuiſſe, aut omnino paſſum, pulſum &c. fuiſſe, & ſi quæ ſunt alia, quæ occaſionem celebri ejusdem cultui præbuêre: quæ ignorare quidem poſſumus, & certè ignoramus; adfuiſſe tamen horum aliquid non imprudenter credere; cùm planè absque ſimili quadam cauſa cultus adeò invaleſcere potuiſſe haud videatur, eò quòd nec ullum templum, ſeu Sabionæ ſeu Brixinæ illi præcipuè Sacrum fuerit, neque in ullo horum ejus reliquiæ venerationi adeſſent. Quam rem curatiùs perpendendam, operæ ſanè pretium judico.

Antiquiſſima certò omnium, quæ Sabionæ ſupereſt, etiam in ſtructura ſacra illa ædicula cenſetur, quam Deiparæ dedicâſſe Divum Caſſianum, Traditio eſt. Ea quidem à multo tempore ampliata, ita tamen conſtructa eſt, ut Chorus hodierni templi ritè diſtingui, & unà videri antiqua illa ædicula queat, quam S. Caſſiano in acceptis refert Traditio; ea Chorum & Altare duntaxat in ampliato dudum Templo hoc complectitur; dimenſus ſum ſpatium, & latum inveni pedes decem, longum duodecim.

Scio Authores, qui de hac Traditione verba faciunt, recentiores eſſe Hundium, Raderum, Zeilerum, & alios. Interim tamen hujus ſacræ ædis jam membranaceus ille Catalogus ſæculi XIII. his verbis meminit: *Sepultus eſt Beatus Pontifex* (S. Ingenuinus) *in urbe Sabiona, in Eccleſia quam Beatus Caſſianus B. V. conſtruxit.*

Imò eandem intelligere videtur Diploma Conradi II. Rom. Imp. de anno 1028. quod integrum c. X. attuli, in quo Cluſas ſitas in loco Sebonnæ ad Monaſterium Sebonna dicto in honorem S. Mariæ conſtructum tradit. Nam (ut notat Ducangius in verbo *Monaſterium*) Monaſterium à templo & templum à Monaſterio compellabatur: & ſic habitatio Canonicorum ab eo, cui inſerviebant, templo nomen accepit, quod innumeris exemplis demonſtrari poſſet: quin ipſum Tabularium Brixinenſe non abſimile ſuppeditat, Diploma enim Ludovici IV. de anno 901. qui Zachariæ Sabionenſi Præſuli donat *Curtem Prichſna, ob Beatorum Stephani Protomartyris & Caſſiani Venerationem, ſub quorum bonore eadem dicata micat Eccleſia.* Et eodem ſæculo: *Ratpot Comes ad monaſterium S. Stephani & B. Ingenuini Dei electorum Martyrum quod eſt conſtructum in loco Brixina, ubi modò Venerabilis Epiſcopus Riche-*

rus præeſſe dignoſcitur duas Huobas donat. Ubi ſanè videmus tam Eccleſiam, quam monaſterium Sancti Protomartyris nomine inſigniri. Ut adeò non incongruè Eccleſia B. V. Sabionæ ſæculo undecimo princeps fuiſſe adſtrui poſſe videatur.

Templum alterum Sabionæ ſanctiſſimæ cruci ſacrum eſt, à quo tempore, incertum; aliqua tamen Bulla Concilii Baſileenſis Idibus Julii A° 1414. data edocet inter alia: *Cùm - - - - propterea Georgius Venerabilis Epiſcopus Brixinenſis & dilecti filii Capitulum ejusdem Eccleſiæ antiquum demoliri - - - - & nibilominus Eccleſiam S. Crucis Caſtri Sabionenſis, quæ vetuſtate jamjam conſumitur, in qua olim Cathedrali ſede viginti ſex Epiſcoporum corpora ſint recondita, ad quam populi ex remotis partibus recurrunt, reformare velint - - - - Nos igitur cupientes reſtaurationem Eccleſiæ Sabionenſis &c.*

Scimus autem, aliquot plerumque ſæcula durare hæc ſacra ædificia, antequam vetuſtate conſumantur, per tria igitur ſæcula non adeò difficulter durare hoc templum Cathedrale potuit, antequam vetuſtate conſumptum verè dici potuit, & ſanctiſſimæ Cruci ſacrum fuiſſe; neque, niſi valde conſumptum fuiſſet, mihi credibile fit, quòd Epiſcopus & Canonici (ut ex Bulla patet) unà conſtructionem Chori Cathedralis, & erectionem Turris Brixinæ, & ſimul reſtaurationem Eccleſiæ Sabionenſis ſuſcepiſſet, niſi ſummopere ea fuiſſent neceſſaria.

Per hæc igitur tria ſæcula, an alius præter ſanctam Crucem Patronus Eccleſiæ Cathedralis princeps fuerit, ignoratur. Ultimo certè ſæculo eadem ſancta Crux patrocinium ut loquimur, ejus templi Cathedralis fuiſſe, ferè indubitatè credi poteſt, quippe tam facilè novus Patronus tum non inducitur, ſi templum vetuſtate conſumi incipiat, cùm id fieri tum communiter aſſoleat, cùm vel reſtaurantur antiqua, vel novæ templorum ſtructuræ antiquis ſuccedant.

Cùm autem hìc immutatum nihil fuerit, ſed ultra trecentos jam annos idem ſacratiſſimæ Crucis præſidium manſerit, id forſitan ea ratione factum, cùm antiquiſſimam hanc templi Cathedralis tutelam immutare noluerint Brixinenſes antiſtites. In ſacram profectò D. Virginis ædem à tot ſæculis etiam dum ampliaretur,

retur, nihil novi illatum circa Patrocinium fuit, doleóque id unum duntaxat, antiquiſſimas in prima ædicula picturas, haud ita pridem deletas fuiſſe, harúmque exemplum nullum ſupereſſe ampliùs.

Sed demus, de quo tamen idoneis documentis non conſtat, à ſæculo forſitan duodecimo (nam undecimo adhuc Templum B. V. Mariæ dedicatum Cathedrale fuiſſe ob Diploma Conradi II. convenientiùs aſſerendum videtur) & decimo tertio S. Caſſianum Patronum fuiſſe, nam decimo quarto ſanctam Crucem eidem ſucceſſiſſe, nemo ut puto dubitabit: Tunc ad ſummum plùs non evincitur, niſi duodecimo, & decimo tertio duntaxat ſæculo S. Caſſianum Templi Cathedralis tunc jam derelicti (nam Brixinam ſæculo undecimo Sabionâ relictâ Epiſcopos migrâſſe conſenſus Authorum eſt) forſitan Patronum fuiſſe.

Luſtrata æde ſacra Sabionenſi nunc Brixinam migrandum eſt. Invenerunt ibi vel S. Albuinus, vel quiſcunque alius ejus ſucceſſor, qui derelicta penitus Sabiona in hac Brixina ſedem ſtabilem fixit, ſæculo undecimo Eccleſiam ſeu templum tunc nullum, niſi de quo jam mentionem fecimus, & pluribus in poſteriori parte agemus, nempe S. Stephani. Hujus adhuc hodie in Templo Cathedrali memoria ſupereſt; Adeſt Altare nimirum huic ſancto Protomartyri ſacrum, ejúsque Sacellanus (ſeu S. Stephani Beneficiatus ut loqui amamus) in Templo hoc Cathedrali ex antiquiſſima conſuetudine jus Parochiale exercet, ut ſepulturas in hoc loco ſolus curet. An verò hoc ipſo ſæculo circa hunc templi Patronum quid immutârint Brixinenſes Antiſtites, hæreo. Id ſaltem mihi credendum ſpero, aliùm Tutelarem Divum non fuiſſe electum, quàm qui ſequenti cultûs fuit ſæculo; breviſſimum enim alterius cujusdam nobis ignoti Patroni & intermedium tempus non facilè quisquam affirmaverit.

Sæculo autem duodecimo de Patrono principe hujus loci, & quidem fortaſſe ante ejus medium (ſi annos curæ Paſtoralis B. Hartmanni conſideremus, nam de anno mutati patrocinii ſignatè non conſtat) in Charta Pagenſi, in Libro donationum B. B. B. prima ſub hoc Epiſcopo occurrit donatio: *ſuper Altare S. S. Petri & Pauli Apoſtolorum & S. Ingenuini, cujus quoque*

*teſtes fuerunt Albertus Comes de Tirole, & Fridericus de Ep-
e.*

Sequuntur in eodem Codice adhuc aliæ à p. 129. Chartæ A-
tolorum Principum nomina complexæ, omnes tempore B.
tmanni conſcriptæ, quas hîc afferre haud neceſſarium vide-
ır. Si quis verò de his majorem notitiam deſideret, voti da-
abitur, afferentur omnes. Notabilem quoque chartam ante
em ſæculi XII. ſub Eberhardo adhuc noſtro & mox Salisbur-
ſium Archipræſule in hæc verba conceptam legimus:

*Notum ſit Chriſti Fidelibus tam præſentibus quàm futuris, quòd
nannus de monte Brixinenſi Eccleſiæ Miniſterialis IIII. mancipia
cet Fridericum, Herradam, Gertrudam & Chuonradum, quæ ab ea-
Eccleſia in beneficio per multos annos habuerat, delegavit ſuper Al-
S. Petri, ſanctique Caſſiani & Ingenuini annuente Eberhardo ejus
tunc Epiſcopo tali tenore, ut jam dictus dominus noſter Epiſco-
vel aliquis ſucceſſor eorum non poſſit cuiquam in beneficium procu-
. Hujus rei Teſtes ſunt Dominus Ulricus ejusdem Eccleſiæ præ-
us. Burchardus Decanus, Ulricus de Sconberch, Ulricus Lenex
es Canonici. Ottacher de Niwenberch, Fridericus de monte, Engil-
us Villicus de Laian, Wernherus filius præſcripti Altmanni, &
Fideles quamplures. Actum eſt autem hoc in aſſumptione S. Ma-
Virginis. cùm primò Dominus noſter Eberhardus Epiſcopus miſ-
ſuper eodem altari celebravit.*

Sæculo proximo decimo tertio eosdem SS. Apoſtolos lego
itteris Indulgentiarum Epiſcoporum triginta quinque Conci-
Lugdunenſis anni 1235. *in Feſtis Petri & Pauli, Ingenuini &
uini aliorùmque, ut Eccleſiæ Brixinenſi jam diu vaſtatæ incendio
urratur.*

Altum dein ſæculo XIV. ſilentium, neque de XV. inno-
Tet mihi quidquam, niſi nuper altaris ſummi deſtructi occaſio-
Scheda in ejus ſepulchro reperta ab Inventore ipſo communi-
a mecum fuiſſet hujus inter alia tenoris: *Altare hoc conſecra-
eſt in feſto S. Barnabæ Anno* 1472. *Patroni hujus Eccleſiæ Bri-
nſis S. Petrus, S. Paulus Apoſtoli, S. Caſſianus Martyr primus E-
opus Sabionenſis, quæ Brixinam per S. Albuinum translata eſt, S.
Ingenui-*

Ingenuinus Sabionenſis Epiſcopus, S. Albuinus primum Sabionenſis, poſtea, ut premittitur Brixinenſis Epiſcopus.

Eadem ratione in Baſilica Templi Cathedralis nuper deſtructa muris adpicti videbantur *SS. Petrus & Paulus cum SS. Ingenuino & Albuino.*

Quando autem hi duo Apoſtoli cum Epiſcopis noſtris in ara principe Deiparæ locum ceſſerint, non conſtat, Sæculo certè priori decimo ſeptimo tanquam præcipuam templi Patronam cultam fuiſſe Beatiſſimam Virginem in cœlos aſſumptam, Tabula artificioſa manu depicta & nuperrimè remota docet: cui nunc nova idem ipſum hoc argumentum exhibens ſubſtituta fuit.

Denique & illud excutiamus, neceſſe eſt, num cultus fortaſſe ob ſacras vel Sabione vel Brixinæ Reliquias anſam præbuerit, ut paulatim pro noſtro illum primo Præſule veneraremur. Sacrum equidem Sancti Caſſiani cujusdam Corpus R. P. Walaſſerus in Martyrologio ſuo Germanico Brixinæ extare credidit, & ſic etiam Cl. Cl. P. P. Antuerpienſibus impoſuit, ut id crederent. In Conjecturis autem meis capite ſingulari ſexto demonſtrare adniſus ſum, id aſſeruiſſe Walaſſerum absque ullo Diplomatum, Chartarum, Codicúmque noſtrorum Teſtimonio, nullo prorſus aûthore ſuffultum, imò ne rudium quidem aſſertis aut Traditionibus.

Atque hæc etiam cauſa fuit, cur Reverendiſſimus ac Celſiſſimus S. R. I. Princeps & Epiſcopus Caſparus Ignatius ejus ſedis digniſſimus ſucceſſor, de obtinendis ſacris quibusdam S Caſſiani Reliquiis primis ſtatim poſt electionem Temporibus unà cum Reverendiſſimo Capitulo Cathedrali cogitârit, ſolennſque etiam legatione Immolam miſſa de Corpore S. Caſſiani Os Brachii recepit, quod modò Brixinæ ſumma religione colitur.

Si igitur, ut contrahamus dicta, neque Patronus fuit unquam præcipuus ſeu Sabionæ ſeu Brixinæ Divus noſter Caſſianus, ſi in neutra Eccleſia ejus olim non aderant ſacræ reliquiæ, antiquiſſimus tamen ejusdem cultus in utroque fuerit loco commonſtratus, ſinè ulla temporum intercapedine, conſonis libris

Liturgicis, quotquot reperiri poterant, omnibus, quid aliud argui poſſit non video, quàm Eundem S. Caſſianum Martyrem Imolenſem ſemper habitum fuiſſe Apoſtolum noſtrum, ac Paſtorem de nobis ſummoperè meritum.

Quin ſi hæc etiam omnia abeſſent, quid agit (rogo, obteſtórque) Sabionæ & Brixinæ in Cathedralibus ſacris ædibus, in Diplomatibus ferè pleriſque & innumeris penè Chartis Pagenſibus à ſæculo VIII. usque ad XII. & usque ad B. Hartmanni tempora, & cur ſolus cum ſolis ſanctis Epiſcopis noſtris conſtanter, nec interrupto ordine recenſetur S. Caſſianus hic? Patroni Principes, Beata Virgo nimirum Sabionæ ſemel duntaxat: B. Stephanus verò Brixinæ una tantum vel altera vice in Diplomatibus occurrunt aut Chartis Pagenſibus quatuor ab octavo ſæculis integris: Imò quando etiam Apoſtolorum Principes primum in Templo Cathedrali locum occupant, ſemper iterum in Inſtrumentis legitimis cum SS. Ingenuino & Albuino recurrit Caſſianus. Si autem nunquam Sabionæ fuit, aut ſaltem Epiſcopus in hac Diœceſi Regionarius & primus Apoſtolus; ſi nunquam de oviculis benè meritus Paſtor; quo jure, quo titulo colitur? cur ab antiquiſſimis ſæculis, cur ſolus inter Epiſcopos noſtros, ſi ad hos non pertinet? cur ſæpiſſimè in Inſtrumentis, etiam remotis Patronis, & reliquis omninò ſanctis omnibus, qui Sabionæ aut Brixinæ nunquam culti fuêre, tam excellenti prærogativa comparet, ſi neque ejus Patrocinio, neque Sacris Reliquiis aut Sabionenſe, aut Brixinenſe Templum Cathedrale unquam antea illuſtre fuit?

CA-

CAPUT XIV.

Hinc aptam hujus Sancti Caſſiani tempore recipiendæ fidei hanc Regionem fuiſſe docendum eſt.

Mirari inter cætera hactenus nunquam ſatis potui, eccur Rhætiam noſtram etiam Viri aliqui non omnino indocti tempore Romanorum minùs cultam, regionem ſylveſtrem, feris duntaxat hominibus perviam iteratò pronunciârint, cùm tamen aliàs teſte Seneca ubicunque Romanus vicit, habitet, omnia excolat, manſiones & urbes extruat, & in omnem, quam devicit Regionem, ducat Colonias, quarum tres in noſtram quoque Provinciam deductas in Veldidena noſtra exhibuimus: ut nihil de ſtupendo viarum apparatu, quem inter tria maxima & Auguſtiſſima Romanæ potentiæ miracula Litterati omnes cum Lipſio adſtruunt, hîc commemorem. Stravit has jam vias teſte Strabone Auguſtus & ex his illam, quæ Veronâ Veldidenam ducit, ideò *Auguſtam*, atque à Reſtauratore Claudio etiam *Claudiam* appellatam fuiſſe, Lapis Bulſanenſis à me detectus docet.

Quòd autem magna horum itinerum pars ad Sabionenſem Epiſcopatum pertinuerit, ipſa eorundem recenſio docebit:

ITER AB AQUILEIA PER COMPENDIUM VELDIDENA.

Ad triceſimum
Julia Carnico

Loncio.

Agunto. *Littamo.* *Sebato.* *Vipitena.* *Veldidena.*	Hæc Loca ad Diœceſin Sabionenſem pertinent.

ITER AB AUGUSTA VIDELICUM VERONA.

Abuzaco
Parthano
Veldidena
Vipiteno } Iterum ad Diœceſin Sabionenſem.
Sublavione
Endidæ
Tridento
ad Palatium
Verona.

ITER A PONTE OENI VELDIDENA.

Albiano
Maſciaco. } Rurſum ad Diœceſin Sabionenſem.
Veldidena.

Incepi à Maſciaco, licèt hic locus ad Salisburgenſem Metropolim pertineat, adverſam ejus partem & Oeni ripam Sabionenſis Eccleſiæ Jurisdictio Veldidenam usque occupat, & ex hac parte non longè à Maſciaco etiam incipit.

Jam & Tabulam Peuttingerianam afferamus.

Auguſta Vindelicûm.
Ad novas
Avodiaco
Coveliacas
Tarteno
Scarbia - - } - - Non procul hìc incipit.
Vetonina
Matrejo.
Vipiteno } DIOECESIS SABIONENSIS.
Sublabione
Ponte Druſi - - } - - Non procul hìc terminatur.
Tridente
Sarnis
Vennum
Verona.

Adjeci

Adjeci hic terminos, ùt loqui amamus *à quo* & *ad quem;* uſque huc enim, aut ſaltem vix notabili unius alteriúsve horæ ſpatio Epiſcopatus noſter terminatur; licèt ipſi hi termini Scarbia & Pons Druſi ad alios Epiſcopatus pertineant, nam niſi hos ponerem, dimidium diei iter per Epiſcopatum Sabionenſem in principio & fine ejusdem evellerem.

In his Viis Regiis populos oſtendimus Romanis jam notiſſimos, *Hiſarcos, Genaunes,* & *Focunates,* quos in Trophæo Alpium Auguſti legimus: *Sevaces* & *Alounos,* quos in Valle hodie Puſtriſſa olim in Norico collocavit Ptolomæus: *Brennos* denique per maximam ejus partem diffuſos Horatius, Florus, Plinius celebravit.

Coloniam unam Veldidenam aliunde novimus, urbes, oppida, & manſiones reliquas Itinerarium ſubminiſtravit: his addendum *Caſtrum Ruptum,* cujus adhuc hodie nomen & rudera ſuperſunt, *Magiſtrice* Stephano Bizantino memoratur, ut Loca reliqua *ad Brutes, Statio, Medium, ad Torrentem, Strata* &c. ſequiorum fortè temporum ſileam.

Hæc porro Itinera in Vindeliciam ſeu Rhætiam II. ad Limites cuſtodiendos, & Noricum quoque ob irruentes paulatim barbaros multùm terebantur, variisque nobilitabantur eventibus. Sic ad initium tertii Caracalla teſte Spartiano *circa Rhætiam non paucos barbaros interemit.* Hoc autem medio *Valerianus in Rhætia,* ùt Oroſius habet L. 7. c. 22. *ab Exercitu Auguſtus eſt appellatus.* Poſt ejus medium Bonoſus, ùt Victor fidem facit, imperium arripuit, *cum per Rhætiam Legionibus præeſſet.* Circa ejusdem Tertii finem Aurelianus Vopiſco teſtante *Vindelicos obſidione liberavit,* & Maximianus limitem Rhætiæ repentina hoſtium clade promovit, ut ejus Panegyricus loquitur. Taceo jam ſævam ad initium ſæculi quarti in Chriſtianos Auguſtæ Vindelicorum perſecutionem & motus ſub Maxentio, & hoc medio quoque Alemannos incurſantes & Juthungos Ammiano referente Rhætiarum tractum devaſtantes.

Sic igitur frequentata per Imperatores itinera, excultæ Coloniæ, natæ ex Manſionibus urbes, & oppida, & ultrò citróque commeantium frequentia; & commerciis nobilitabantur.

Non poſſum igitur mente concipere tam cultæ Regioni, Evangelii lucem multo lumine non illatam fuiſſe, ſi S. Juſtinus jam Germanos circa medium ſæculi II. S. Irenæus barbaros ad finem ejusdem hac ſorte beatos pronuntiat, ſi Tertullianus iterum ad finem ejusdem ſæculi II. omnia, urbes, Caſtella, municipia Romanorum ea ætate occupata fuiſſe à Chriſtianis pronuntiet.

Sed liberaliòr ſum, non poſtulo id apud nos primo ac ſecundo ſæculo factum, neque forſitan tertio, niſi adulto. Neque acriùs contendo, ſuperſtitiones gentilium in remotioribus ab itinere regio Vallibus duras ſatìs radices egiſſe, adeò ut hoc & ſequenti, imò fortâſſe neque longiori adhuc tempore univerſim evelli non potuerint.

Perlubenter quoque concedo, in urbibus & oppidis non omnes ſtatim Chriſtianos ritus ſecutos eſſe, oviculas hinc inde etiam latuiſſe, eas Paſtorem habuiſſe Regionarium & quidem non unum, ſed plures vix dubium eſt.

Neque crediderim, ſtatim Sabionæ ſedem fixiſſe, ſed obeundô ac luſtrandô oviculas modò hîc, modò alibi moras traxiſſe. Sicuti enim militia Romana, ut vult Cl. Hanſizius, & Coloniæ Romanæ potiſſima Linguæ Romanæ per Provincias vulgandæ inſtrumenta fuêre, ita pariter Religionis propagandæ præclara erant media. Scimus, per milites non rarò propagata fuiſſe Chriſti Sacra, & quamvis apud nos de his conſtet omnino nihil, traditiones tamen, utut corruptæ, aſpernandæ fortaſſis omnino non ſunt, præcipuè ſi de loco quodam eæ quid recenſeant, de quo antiquiſſima Religionis veræ monumenta habemus.

Neque repetere hîc eſt animus, Exercitum Rhæticum equeſtrem ac pedeſtrem jam in Hadriani nummis ſpectari, inſtitutam in Rhætia Legionem III. Italicam à M. Aurelio, ut adeò non una occaſio fuerit dilatandæ per milites fidei ad finem II. & per totum ſæculum III. ſi poſt initium Tertii Origenes illam creviſſe pœnis ac mortibus: ſi ad ejusdem Tertii finem Arnobius in omnibus Provinciis occidentis & orientis ita Chriſti ſacra promota gentibus objiciat, ut circa quarti initium Euſebius in ſingulis urbibus priſca ædificia immenſam Chriſtianorum multitudinem

dinem capere non potuiſſe: ſed nova templa ideò exſtruenda fuiſſe pronuntiet. Si idem per Viros Apoſtolicos ubique factitatum ferè conſenſu Authorum probari poteſt, hósque de Civitate in Civitatem aut perrexiſſe tempore pacis, aut tempore perſecutionum fugiſſe conſtat. Sic ex Cl. Hanſizii aſſerto T. I. p. 10. fidem certè I. ſæculo in Norico propter tantam cum Italia vicinitatem, & aſſiduum cum Romanis commercium promulgatam fuiſſe, eò longè certiùs affirmare poſſum, id de Italia ipſa, déque ejus parte Rhætia longè veriſimiliùs eſſe: præſertim dum ille paulò poſt addat: in urbem Italiæ proximam ratio id ſuadeat.

Neque abſterruit hos fidei Præcones ulla tormentorum acerbitas, nam Teſte Juſtino p. m. 201. in Apologia ſua, *quamvis capitale ſit, vel docere hanc doctrinam, vel Chriſti nomen profiteri, nos tamen id ubique complectimur pertinaciter, & docere non deſiimus.*

Interim tamen etiam in hac regione cladem nonnunquam paſſam eſſe eandem ab Ethnicis Imperatoribus, tum in Rhætia, tum ad limites commorantibus, aut tranſeuntibus, eorundémque Legatis, Prolegatis ac Præſidibus (quorum complures in noſtris Lapidibus legimus Chriſticolas) ex Martyrologio S. Hieronymi patet, in quo ad Tomum I. Januarii p. 21. Actorum Bollandi hæc lego: *Evanti & Hermetis in Rhætia.* Sic S. Caſſianum captum Sabionæ credi poteſt, etſi quid poſteà ibi cum illo actum ignoremus.

Non abs re quidem eſt, nullos monſtrare nos poſſe hoc ſæculo Præſules; ſed idem fatum pleraſque premit Eccleſias: neque enim ex eo (ait Hanſiz. T. I. f. 10.) quod Antiſtites, qui ſederint, ignorantur; illico ſtatuas, ſediſſe nullos, quod quidem imperitiſſimum foret, & Eccleſiis pleriſque injurium.

CA-

CAPUT XV.

Metropolin igitur reſpexiſſe Mediolanenſem Sæculo quarto.

Poſtquam igitur exoptatam diu pacem ope Conſtantini Magni adepta eſſet Romana Eccleſia, de ordine quodam inter Epiſcopos Italiæ ſic propriè dictæ, in poſterum ſervando, cui nempe, & quot aliæ comprovinciales uni velut Matri Metropolitanæ nempe ſubeſſent Eccleſiæ conſtitutum fuit: Electus eſt princeps ad hunc finem totius Italiæ poſt Romam locus, Mediolanum nempe ea methodo, ut quotquot regiones Vicario Italiæ, cujus ſedes pariter Mediolanum erat, parebant, eædem quoque regiones cum Epiſcopis ſuis Epiſcopo Mediolanenſi eſſent attributæ. Inter has Provincias Rhætia prima quoque fuit, quæ in Politicis Vicario, in Sacris Mediolanenſi tanquam Metropolitanæ ſuberat Eccleſia. Huic quoque Eccleſiam noſtram Sabionenſem fuiſſe ſubditam in conjecturis ego meis credidi, motus præcipuè hujus ipſius S. Patris de Eccleſia Vercellenſi Libro X. Ep. 82. Teſtimonio: *Conficior dolore, quia Eccleſia Domini, quæ eſt in vobis, ac ſola nunc ex omnibus Liguriæ, Æmiliæ, Venetiarúmque, vel cæteris finitimis Italiæ partibus bujusmodi eget officio &c.* ſub finitimis his partibus latere Rhætiam I. & II. autumari, quod & Cl. Rubeo f. 182. viſum, nexúsque Provinciarum videtur exigere, atque inde colligere volui, nullam in iis partibus Eccleſiam fuiſſe, quæ Epiſcopum non haberet. Sed mihi probandum eſſe contendit Adverſarius, Sabionæ eo ſæculo Eccleſiam fuiſſe, & tum mihi ſe conceſſurum fore affirmat. Illam Epiſcopo non vacâſſe: non invitus equidem hanc conditionem accepto, licèt hæc verba non in hunc præcipuè finem adduxerim, ut Epiſcopum Sabionæ tempore S. Ambroſii adſtruerem, ſed (quod titulus cap. XV. præfefert) ut conjecturas afferrem, cur Imola Sabionam venire potuerit S. Caſſianus. Fuſiùs tum docui, quæ monumenta in Eccleſia

Triden-

Tridentina, Curienſi, Auguſtana, Veronenſi, Vercellenſi, Foro-Cornelienſi circa nexum cum Metropolitana Mediolanenſi ſuperſint: & quod ex his ipſis Eccleſiis, quæ priùs Mediolanenſi parebant, multæ poſtea ad Aquilejenſem tanquam Metropoliticam ſuam tempore Schiſmatis defecerint.

Cæteroquin ex his utique verbis S. Patris: *ſola nunc ex omnibus Liguriæ, Æmiliæ, Venetiarúmque, vel cæteris finitimis Italiæ Partibus hujuſmodi eget officio*, ritè quis inferret: omnes igitur reliquæ Italiæ Partes ſuas habuêre Epiſcopos; quotquot enim in Provinciis illis, quæ Præfecto Prætorio Italiæ ſuberant, Eccleſiis præfuêre Epiſcopi, omnes Metropolitano Mediolanenſi parebant. Ad Italiæ Diœceſin ſpectabant, inquit Cl. Rubeus in monum. Aquil. f. 81. Venetia cum Iſtria, Æmilia, Liguria, Flaminia, & Picenum Annonarium, Alpes Cottiæ, Rhætia I. Rhætia II. & hos Sacerdotes (ſeu Præſules) Vicinarum ex Italia Civitatum Reſcriptum Imperiale ad Concilium Aquilejenſe ſub Ambroſio celebratum Teſte eodem Authore convocat; Vicinæ igitur Civitates intelligebantur, quæ in Italia ad Præfectum Prætorio Italiæ, ſicuti finitimæ Italiæ partes Provinciæ illæ, quæ ad Metropolitanum Italiæ ſpectabant. Si enim per partes Italiæ finitimas, ut aliqui volunt, regiones Illyricas intelligeremus, diceremus utique, & afferremus longè alias, quàm quæ Profecto Italiæ parebant. Ex his igitur Italiæ Provinciis Solæ Vercellenſis ex omnibus, quas nominat S. Pater nempe Liguriæ, Æmiliæ, Venetiarúmque & ex cæteris omnibus finitimis Italiæ partibus, Iſtria nempe, Flaminia, & Picenum Annonarium, Alpes Cottiæ, Rhætia prima, & Rhætia ſecunda nulla indigebat hoc officio, quòd nempe illi Epiſcopus deeſſet; Habuit igitur etiam Rhætia prima Epiſcopum, ùt vult S. Pater. Ego ſanè quid in hac concluſione deſiderari poſſit, non video! Verum equidem eſſe, non abnuo, inveniri de aliis harum Provinciarum Eccleſiis certiora caſu, & bonâ fortunâ documenta, uti ſunt inter alia ſubſcriptiones hujus ipſius Concilii Aquilejenſis, cujus os, lingua, Dux, & Ingenium teſte eodem Rubeo S. Ambroſius fuit; nam interfuêre præter Valerianum Aquilejenſem & Ambroſium ipſum Euſebius Bononienſis, Limenius Vercellenſis, Sabinus Placentinus, Abundantius Tridentinus, Philaſter Brixienſis, Baſſianus Laudenſis, Heliodorus Altinienſis, Eventius

tius Ticinenſis, Exuperantius Bertonenſis, Diogenes Genuenſis. Hos omnes Eccleſiæ Mediolanenſi ſubfuiſſe, nomina Provinciarum, quæ paulò antè recenſuimus, luculenter commonſtrant. Inter hos porro Epiſcopos non adeſt equidem Brixinenſis, ſeu Sabionenſis, ſed neque Veronenſis, Foro-Cornelienſis, Curienſis, vel Auguſtanus adſunt, quorum tamen acta alia vice in hac ipſa Metropolitana ſede ſæculo ſequenti non deſiderantur, Epiſtolam nempe Euſebii Mediolanenſis ad S. Leonem I. ſubſcripſère Faventinus Preginenſis, Majoranus Placentinus, Cyprianus Brixillenſis, Quintus Dertonenſis, Criſpinus Ticinenſis, Maximus Taurinas, Feltreus Presbyter pro Iporienſi infirmo. Gradus Presbyter pro Auguſtano, Cyriacus Laudenſis, Abundantius Comenſis, Abundantius Presbyter pro Curienſi, Paſchaſius Genuenſis, Paſtor Aſtenſis, Simplicius Novarienſis, Joannes Cremonenſis, Octavianus Brixianus, Juſtinianus Vercellenſis, Quintius Albingaunenſis, Præſtantius Bergomas. In multis quoque Conciliis *Epiſcoporum ſedes* expreſſæ non ſunt (Collectione autem Harduini uſus ſum) ùt in Mediolanenſi de anno 353. alicubi *Acta*, ùt in Mediolanenſi anno 347. & Ariminenſi anno 359. ac Romano anno 366. alicubi *ſubſcriptiones*, ùt in Romano anno 342. omnes omnino deſunt: aut ſaltem non integræ nam in Sardicenſi adfuêre Epiſcopi octoginta & ſubſcripti ſunt ſeptuaginta.

Aut denique mirum *interpolatæ*, ùt in Neo-Cæſarienſi de anno 314. aut corruptæ, ùt in Romano anno 504. adeò, ut vix ſanari poſſint. Addendum, quòd in Aquilejenſi & haud dubiè etiam in aliis cauſas abſentiæ legitimas ipſum Reſcriptum Imperiale conceſſerit, quod apud Virum ſummum B. Rubeum l. c. ita ſonat: *Abſtinendum Venerabilium Virorum fatigatione cenſuimus, ne quis vel maturo ævô gravis vel corporali debilitate confectus, vel laudabili paupertate mediocris inſuetas repetat terras.*

Ego ſanè dudum optabam, nulli concedendam fuiſſe abſentiam, aut ſaltem per legatum (quòd de Curienſi & Auguſtano in Mediolanenſi ſub Leone I. adduximus) comparendum fuiſſe, qualem tamen in hoc Concilio nullum lego, tunc enim Sabionenſem certò me inventurum Epiſcopum ſubſcribentem nulla prorſus ratione addubito. At dices Rhætia prima & ſecunda ſuos jam habet tempore D. Ambroſii & S. Leonis I. Subditos Mediolanenſi Eccle-

Eccleſiæ Præſules, Tridentinum, Curienſem, Auguſtanum, Sabionæ verò nondum ſedes ulla hoc tempore conſtituta legitur. Sed nempe non indiguit hoc officio, Epiſcopali nimirum, Tractus Rhætiæ ampliſſimus, qui in ſola via regia initô computô, quadraginta milliaria germanica, hoc eſt ducenta millia paſſuum complectitur, non comprehenſis Vallibus per aliquot paſſuum millia, plerisque extenſis, uti ſunt vallis Grata, Gſieſenſis, Antholz, Tuberium, Arinia, Luſina, Pens, Ridnaun, Pfitſch, Ez, Stubay, Sellrain, & aliæ, quæ fortè illo adhuc ævo homines nimium agreſtes aluêre, & verbi divini impatientes: licèt aliàs in remotis à via Regia montibus, ac vallibus his, integer Decanatus, & Parochiæ omnino XX. numerentur, vallésque ad minimum quinquaginta ſint, quæ ſuos Paſtores animarum proprios venerantur. Non additis denique verſus orientem Friſingenſis, Chiemenſis, & Salisburgenſis Eccleſiarum finibus, illo utpote ævo non exſtantium, ut adeò noſtros tum etiam longiùs extenſos fuiſſe credibile ſit.

* *

CAPUT XVI.

Et ſi quòd adſit Fidei propagandæ circa hæc tempora monumentum, oſtendendum.

Grande Fidei apud nos ſæculo quarto, aut ſaltem quinto promotæ monumentum S. Gregorio Turonenſi debemus, templum nempe S. Laurentii circa medium ſæculi ſexti *ob incuriam longi temporis*, ut loquitur S. Pater, *detectum* Veldidenæ, ut credimus, olim exſtructum. Verba ejus L. 1. c. 42. de gloria Martyrum ita ſonant: *Templum erat in quodam loco B. Laurentii & reliquiis & nomine conſecratum, quòd per incuriam longinqui temporis valde detectum erat, quod cùm renovare loci incolæ vellent, ſylvas adeunt, inciſa, levigatáque ligna trabes efficiunt, impoſitásque plauſtris ad locum exhibent. quibus per humum ad ordiendum extenſis una brevior eſt reperta, ſtatimque ſacerdotis animum, qui hæc inſiſtebat, dolor maxi-*

mus attigit, & flens valde quid ageret, quo ſe verteret, ignorabat, tunc intuens roborem breviorem ait: ò Laurenti beatiſſime! appoſitus igni glorificate, ſemper pauperes fovens ac reficiens; cogita paupertatem meam, quia non eſt exiguitati noſtræ facultas, qualiter hic alia exhibeatur, illicò cunctis attonitis trabs crevit in tanto ſpatio longitudinis, ut neceſſe eſſet partem magnam incidi, de qua induſtria plebis beneficia perdere nefas putans, credens eam martyris manu tactam, ac prolongatam, partem quæ ſuperfuerat, fruſtratim decerpens, diverſas infirmitates ſæpè ſubmovit, quod Fortunatus Presbyter his verbis proſecutus eſt:

Laurenti meritò flammis vitalibus uſte!
qui fervente fide Victor ab igne redis!
Dum tibi templa novant breviori robore plebes
Creverúntque trabes, crevit & alma fides.
Stipite contracto tua ſe mercede tetendit
quantùm parva priùs poſtea cæſa fuit.
Creſcere plùs meruit ſucciſa ſecuribus arbor,
Et didicit ſiccâ longior eſſe Comâ
Unde reciſa fuit, populis fert inde ſalutem
Si venit intrepidus, lumina cæcus habet:

Multò plures exinde ſcripſit verſiculos, quos ego prætermiſi, hos tantum pro teſtimonio veri ſcripſi: acta ſunt autem hæc apud Briones Italiæ Caſtrum, nam vidi ego hominem, qui graviter dentium dolore laborans, accepta de hoc ligno à ſacerdote particula ſtatim ut dentem attigit, dolore protinùs caruit:

Verſus autem integri Venantii Fortunati, quos citat S. Pater, ſunt hi in Collectione Maittairii L. 8. c. 14. hôc Titulô:

In S. Laurentii laudem ac reſtaurationem Baſilicæ.

Laurenti meritò flammis vitalibus uſte
Qui fervente fide Victor ab igne redis
Vir dilecte Deo terreno in corpore quondam
Tunc quoque ſydereus jam tibi ſenſus erat.
Qui potuiſti oculos tactu revocare ſepultos,
Rurſus & in vacua fronte referre diem.
Luminis extinctas iterum accendiſſe lucernas,
Credimus hæc ſigno Te faciente Crucis.

Addi-

Addita nunc etiam populis miracula præſtas,
Et fidei tribuis indubitanter opem
Dum tibi templa novant breviore robore plebes
Creverúntque trabes, crevit & alma fides.
Stipite contracto tua ſe mercede tetendit,
quantum parva priùs poſteà cæſa fuit.
Creſcere plùs meruit ſucciſa ſecuribus arbor
Et didicit ſiccâ longior eſſe coma
Unde reciſa fuit, populis fert inde ſalutem
Si venit intrepidus, lumina cæcus habet.
Tu Levita ſacer, pœna purgate fideli
Unde priùs flammas hic modò lumen habes
Viſa ita temporibus Venerandi Antiſtitis acta.
Sed tamen æterno ſunt memoranda die.

Non eſt improbabile, Venantium Fortunatum locum ipſum vidiſſe, dum Tarviſio iter faciens ad Alpes Julias pergens Aguntum, dein ad Maias, tum ad Oenum in Breonibus, ab his ad Lycum, Urbémque Auguſtanam delatus ulteriùs ſeſe Turonos, in Galliam contulit, quod deſcribit ipſe pauculis verbis in Epiſtola dedicatoria ad S. Gregorium Turonenſem: & rurſus in Carminum de Vita S. Martini L. 4. à verſu 650. atque ex illo Paulus Diaconus de Geſtis Langobardorum L. 2. c. 13. Sed probandum mihi eſſe monent aliqui, Caſtrum apud Brionas Italiæ Veldidenam in Oeni valle, ac Rhætia fuiſſe; Valeſius enim in Rebus Francicis Tomo I. ad annum 447. *Briones hi ſunt*, inquit, *quos Senator & Fortunatus Breones, Veteres Geographi Bremos appellant, atque in Vindelicia ponunt.* Nec multùm diverſus ab eo Pagius eſt in Critica Baronii T. II. ad annum 451. qui *Briones ſitos ad Orientem Lacûs Conſtantiæ & in confiniis Rhætiarum* collocat, Venantium, quem modò audivimus Fortunatum allegans:

Pergis ad Auguſtam, quam Virdo Lycúsque fluentat,
Qua vicina ſedent Breonum loca, perge per Alpem
Ingrediens rapido, quo gurgite volvitur Oenus.
Sed fallitur utique Vir doctiſſimus uterque.

Non ad Auguſtam in Vindelicia, non ad Orientem Lacûs Conſtantiæ, aut in confiniis Rhætiarum, id eſt, in Vindelicia ad fi-

nes noſtros Rhæticos: ſed ad Veldidenam in Rhætia ipſa, ad Oenum fluvium hi ſiti ſunt.

Explicat enim ſanè ſeipſum in Epiſtola dedicatoria ad S. Gregorium Turonenſem Fortunatus dum ait: *Padum, Athesin, Plavim Liquentiam, Taliamentúmque tranans per Alpem Julian, pendulus montanis anfractibus, Dravum Norico, Oenum* BREONIS, *Licam Bajuvaria, Danubium Alemannia, Rhenum Germaniæ tranſiens.*) Breones igitur non in Alemannia, quæ Vindeliciæ ad occidentem Pars, aut in Bavaria, quæ ad orientem, ſed ad Oenum, inter Alpes reponit. Sic Paulus Diaconus l. c. Briones inter Aguntum & Auguſtam medios: & libro 4. c. 4. ad Oenum ponit: *in Regione quoque Brionum* (ait) *ſanguis de nubibus fluxit, & in Eno fluvio quaſi rivuli cruoris emandrunt.*

Briones porrò in Italia ſitos Geographia Romana adhuc in utriusque Imperii Notitia docet, dum Rhætiam utramque ad Vicarium Italiæ trahit, optimè in hanc rem iterum Paulus Diaconus loquitur: L. 2. c. 4. *Et hæc quidem mala intra Italiam usque ad fines Gentium Alamannorum & Bajoariorum ſolis Romanis acciderunt.*

Sub Caſtri nomine amplum oppidum intelligere S. Gregorium Turonenſem Ducangius & Cellarius affirmant, ut in Veldidena pluribus p. 149. docui: *eſt caſtrum*, inquit ille, *firmiſſimis muris in media planitie & ſatìs jucundè compoſitum.*

Denique dubium omne nobis tollit Aribo noſter Friſingenſis dictus c. 35. in Vita S. Corbiniani ita prolocutus: *cùm autem veniſſent Partibus Vallenſium, cum ſancto corpore ejus, quidam Nobilis Romanus nomine Dominicus Breonenſis plebis civis magnis vexatus febribus ad Viri Dei corpus cum venit &c.* Meichelbekius in alio Codice *Vallenefes, Intbaler* legit: ego verò neſcio in quo Authore *Vallenenſes* verum nomen eſſe deprehendi. Cives porrò nonniſi in Caſtris ſunt. Caſtrum hoc apud Breones in valle Oeni ſpectabatur, in Rhætia Italiæ adnumerata, ad fines Alemannorum & Bajoariorum, & ſic Briones ac Breuni nobis vindicandi ſunt, celebres adverſus Attilam Populi.

In Oeni Valle inſuper nullum illo tempore oppidum magnum, aut urbem præter Veldidenam novi, licèt eo, quo S. Gregorius ſcripſit tempore jam ad *exiguitatem* vel ab Hunnis, vel Herulis ſæculo priori probabiliùs redactum fuerit: niſi fortè Curatus

Loci,

Loci, ſeu Parochus id de ſe ex animi demiſſione dixerit; viciniæ enim huic arbores defuiſſe etiam magis proceras vel credibile videtur. Sed & templum *incuria longi temporis valde detectum* deſcribitur, vel ab Hunnis fortaſſe incenſum, ab *Aquileja* itinere Romano *per compendium Veldidenam* delatis, vel ab Herulis devaſtatum: nam ita ubique deſæviiſſe priores notiſſimum, poſteriores verò itinere Salisburgenſi Romano, quod *Laureaco Veldidenam,* & in Italiam ducit, huc pariter delati ferè citrà dubium non aliter habuêre (ut pronum eſt credere) Veldidenam, quàm Juvaviam; *nam nocte Heruli inſperatè protinùs irruentes, oppidúmque vaſtantes plurimos duxére captivos, Presbyterum verò memoratum* (S. Maximum) *patibulo ſuſpenderunt.* Ut pluribus narrat Eugippius c. 24. in vita S. Severini Noricorum Apoſtoli. Sed iſta non pro certis vendito.

Denique S. Laurentio ſacrum fuit hoc templum in Caſtro hoc, idémque non incongruè ſtatui poteſt, quod anno 1140. in Diplomate ſuò, à me conſpecto, Reginbertus Brixinenſis Epiſcopus Canonicis Regularibus S. Norberti Præmonſtratenſibus tradidit *B. Laurentii Eccleſiam ſitam in Villa, quæ dicitur Wilthina usque ad tempora noſtra minùs correctam, minúsque cultam &c.* Ea hodie adhuc ſupereſt, etiam A° 1138. Templum princeps Aſceterii Wilthinenſis fuit: hoc ſolo immutato quod S. Laurentio dum iterum renovatum, vel de novo exſtructum fuit ejus hoc templum Conradus Brixinenſis Epiſcopus in Dedicatione A° 1201. S. Levitam alterum Stephanum ſociaverit.

Hoc igitur D. Laurentii Templum in Caſtro hoc jam ſæculo VI. medio incuria longi temporis valde detectum Cultum Chriſti publicum in urbe hac ad minimum quinto ſi non quarto (non enim primo ſtatim ſæculo labem niſi vi, faciunt ædes ſacræ) demonſtrat:

In oppido Breunorum, quo nomine Pliniu· L. 3. c. 24. Veldidenam, & in Caſtro apud Breones, quo S. Gregorius, ut audivimus, id compellat, ſic utique Brennenſis Eccleſia ſaltem oviculárum *Vallenenſium* fuit.

Neque anguſtum, ſed majoris amplitudinis fuiſſe argui poſſe videtur, cùm in ſylvis aliàs noſtris ſatis proceræ creſcant arbores, & una etiam, quæ brevior erat, per prodigium longior evaſerit.

Si igi-

Si igitur ex majoribus unum hoc templum fuit, complures utique Chriſtianos illic locorum fuiſſe, nemo, ùt equidem reor, ibit inficias.

Sed probandum mihi inſuper cenſet Adverſarius, quòd Rhætiis neceſſariò Epiſcopus ſit tribuendus VI. ſæculi initio, quando tot Illuſtriores Germaniæ civitates multò etiam pòſt caruerunt, imò in ipſa Italia Concordienſis, Feltrenſis, & aliæ Eccleſiæ antiquiores ſchiſmate Aquilejenſi Epiſcopos non agnoſcant.

Epiſcopos equidem ordinarios, quibus in Germania (& in iis præcipuè regionibus, quæ Romanis non paruerant) certæ ſedes, & certi fines eſſent, haud dubiè ſerò admittendos eſſe, dudum didici; cùm in vicina etiam Bavaria tales Præſules, Divus Bonifacius ſæculo primùm octavo, utì & in Franconia conſtituerit: Salisburgenſium quoque monumenta hìc repetere neceſſum non eſt. Bella & migrationes, Gentilium irruptiones, finiúmque mutationes perpetuæ, oppida pauca clauſa, & urbes rariores erant: ſed aliter longè in Provinciis Italiæ & in Alpibus Conterminis res actæ ſunt.

Vindeliciam à Danubii fontibus usque ad Lyci confluentes Alemanni inundaverant, hi jam ſæculo V. frequentes teſte Eugippio præ foribus oppidi Patavienſis hoſtes erant perpetui, imò oppida Norici ſuperioris, ut loquitur idem divi Severini Biographus, *omnia pervaſère.* Ultra Danubium Thuringi non raròAlemannis ſe ſocios junxerant. Noricum Ripenſe poſt mortem Conſtantii Epiſcopi Franci & Saxones teſte Ennodio vaſtàrunt. Odoacer, quòd eos deſperâret expellere, totum, quod erat ex Norico reliquum, in ſolitudinem redegit, ne illi pedem ullum ibi figerent. Quàm immites Heruli fuerint, exemplum in Juvavia idem Eugippius reliquit.

Jam Alemanni, Thuringi, Franci, Heruli, Saxones, plerique gentiles, quid cum Sacerdotibus, Eccleſiis, Epiſcopis egerint, facilè quis animo concipiet, & ſi Ennodio fides, multiplices crudelitatum ſpecies belluarum more peragebant.

Quietior ſanè locus Chriſti ſacris in Alpibus his noſtris fuerat: & quamvis irruentes (rariùs tamen, nam Alpes Juliæ viam magìs commodam aperiebant) barbari fortè oppida, quæ tranſierant,

rant, habuerint: pedem tamen ſicut in Norico & Vindelicia figere illis non licuit, diſpergere equidem oves in ſuos receſſus & valles modico tempore poterant, quæ tamen his diſparentibus ad vocem Paſtoris perlubenter ad ovilia ſua redibant.

Infirmum porrò argumentum eſt, Concordia Feltria, aliæque urbes antiquiores Epiſcopos S. Ingenuino noſtro non agnoſcunt; ex hoc enim nondum evincitur, ante hoc tempus nullibi fuiſſe Epiſcopos: atque hoc eapropter neque elicies: igitur neque de Sabionenſi antiquiores eòdem Ingenuino credendi ſunt Antiſtites.

Idem eſſet, ac ſi ex hoc quod Veldidena, Litamum, Aguntum, Sabiona nobilia oppida atque hæc ſingula ante Ingenuinum ſuos non habuerint Epiſcopos, ego arguere vellem: ergo totus diſtrictus aliquot dierum ampliſſimus nullum agnovit Epiſcopum.

Aliter ſe res in Rhætia, aliter in Venetia, & Iſtria habet, tempore ſchiſmatis enim urbes ferè ſingulæ Patavium nempe Verona, Vicentia, Acelum, Altinum, Tarviſium, Feltria, Bellunum, Opitergium, Ceneta, Concordia, Julium, Tergeſte, aliáque nonnulla, quarum plures vix horis aliquot, aut diei ſpatium ab invicem diſtant, ſuos jam tum teſte Catalogo Rubeano habuêre Epiſcopos: integræ autem apud nos ferè regioni & multis oppidis, urbibúſque unus tantum præeſt Epiſcopus, & ab illo præeſt tempore, quo Chriſtianis ædes ſacræ & urbes fuêre, quæ requirerent, reciperéntque Paſtorem, quod ſæculo ad minimum quarto factum, & pluribus, & iteratò docui.

Rhætiæ Curienſi ſæculi V. medio Aſimonem Epiſcopum nemo adimet, licèt præter urbem Curiam, & Coloniam Teriolos aliud oppidum nobilius ipſi ſubfuiſſe vix quisquam probaturus ſit, Tyrolenſi autem multo cultiori & Scriptoribus ferè omnibus notiori Provinciæ, oppidis nobiliſſimis ac urbi principi ante finem ſæculi omnino ſexti Præſulem abjudicare, quis quæſo rerum Eccleſiaſticarum paulò peritior, velit, poſſitque permittere?

CAPUT XVII.

Atque eapropter neutiquam omnes ante S. Ingenuinum Epiſcopos explodi poſſe.

Divum Lucanum invitis Catalogis omnibus p. 61. ſola Philippi Ferrarii Authoritate nixum me inveniſſe ſcribit Eruditiſſimus Contradictor. At Divum Lucanum ex Ferrario Raderus in Bavaria ſancta, Acta Bollandiana Tomo V. Julii, & Acta Bellunenſia publica Authoritate ad initium Sæculi VI. anno nimirum 1512. concinnata produxêre, quæ etiam mihi nuper admodum liberalitate Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Benedicti Comitis Giovanelli, Nobilis Veneti, obvenêrunt. Sed demus interpolata eſſe, & erroris non unius ſuſpecta S. Lucani Acta vulgata: ergo nullius omnino authoritatis ſunt? paria ſunt geſta à diverſis Viris ſanctis prodigia, quis ideo, quod paria ſint, falſitatis ea arguat? Adverſarius equidem Hiſtoriam de Urſo in ſancto noſtro Romedio reprobat, eo quòd ſibi ſuſpecta videatur: ſimilem tamen rei geſtæ ſeriem in Aribone noſtro, ſcriptore graviſſimo, imò ejusdem circa medium ſæculi teſte, quæ ad illius initium geſta eſt, utique non inepto, falſam omnino haud pronuntiabit? licèt, quod S. Romedium attinet, Urſi in valle Anania, & proxima valle, cui de Ultimis nomen [Ulten prope Meraniam] valdè frequentes ſint, ut ea potuerint facillimè contingere. Imo nec ipſi Clariſſimi Bollandiani, qui Acta ſuſpecta cordatè reſpuunt, in Actis S. Corbiniani hæc rejecerunt; capite enim 3. ſic loquuntur: *ſatis mirabilis eſt hæc Hiſtoria; non tamen omnino inſolitum ſimile Sanctorum in feras imperium.*

Pudeat ſeveriores ex ipſis Catholicis Criticos, ſeſe ab Acatholico confundi; vir enim celebris & doctiſſimus Melchior Goldaſtus in Scriptoribus ſuis Alemannicis T. 1. P. 2. f. 388. in c. 11. Walafridi Strabonis de vita S. Galli & de obedientia Urſi, dum de

variis circa animalia prodigiis, Urſi nempe S. Eutychii, Leonis apud Sulpitium Severum, Lupæ Eremitæ Ægyptii, Leænæ cum Catulis cæcis Anachoretæ, Leonis S. Hieronymi ſermonem feciſſet ac diverſa aliter de his ſentientium judicia produxiſſet, tandem addit: *Ego verò, ut neque omnibus miraculis tribuo, ita tam Sanctorum Virorum fidem forcillare, aut inſuper habere præter religionem exiſtimo.* Scio, premit nos inopia Documentorum, præſertim ſi pauciſſimi indagent, vel non ritè indagare velint, ſciántque. Sed ſacrum Caput in Valle Agordia, ubi deceſſit, Corpus reliquum Belluni, quæ à tot ſæculis Epiſcopi ſedes eſt, notum non ſit, præcipuè in antiquiſſimis ibi Codicibus? in Eccleſia Cathedrali? in ipſa Italia? utraque Agordienſis & Cathedralis Bellunenſis Eccleſia non ſciat, quale ſacrum corpus colat, & hoc in Conſpectu Epiſcopi, quibus ſingularis harum rerum cura ab Eccleſia Romana ſemper demandata fuerat? Sed Brixinenſem vocant Epiſcopum, quid tum? etiam ſic multi Codices S. Caſſianum vocant.

S. Lucanum alios Codices alio tempore Sabionenſem vocâſſe, ùt ipſe Bollandus fecit, non dubito; ſed cùm hodiè à Sede translatà dicatur Eccleſia Brixinenſis, quæ olim Sabionenſis audiit, intelligunt omnes, quo ſenſu *Brixinenſis* dicatur, & ſic Raderus, Gewoldus, & ipſe Bollandi Socius Sollerius explicavit, ſine controverſia. Addit rurſum Eruditiſſimus Cenſor: *Illud duntaxat contendo, ſi Eccleſiæ alicujus Regimini præfuit, Sabionenſem haud quaquam illam eſſe potuiſſe, quum ea tempeſtate nulla adhuc Sabionæ conſtituta fuerit Eccleſia.*

Verùm abhorreo dicere (liceat mihi Hanſizii T. I. f. 17. verbis uti): *Neglectam adeò fuiſſe Viris Apoſtolicis eam Provinciam, quæ Italiæ tam contermina* (imò pars Italiæ) *& commeantibus ultrò citróque, ſeu ab oriente in Italiam, ſeu è converſo, neceſſitate erat contingenda, tanquam ſeptis fuiſſet occluſa, metam Viris Apoſtolicis orbem magno numerô percurſitantibus ſtatuiſſet. At nulla monumenta, nulli teſtes: ſit ita, res ipſa teſtimonium præbet: ipſa ratio, quæ vetat credi, Provinciam Romæ tam obviam, Apoſtolis perviam* (Mediolano &) *Aquilejæ contiguam tamdiu manſiſſe doni Cæleſtis expertem. Graviſſimum eſt Euſebii Cæſarienſis Teſtimonium, qui diſerte de Apoſtolorum Diſcipulis memoriæ prodidit, plures ipſorum abjectis aliis curis expeditionem Evangelicam ſuſcepiſſe, peragrâſſe Provincias, ac ſparſo divini verbi*

ſemente ad alios, atque alios populos curſim tranſiſſe conſtitutis ubique Presbyteris, qui in laborum ſupplementum ſuccederent, Lactantius item, qui pariter in Palatio Conſtantini cum Euſebio Cæſarienſi florebat, libro de mortibus Perſecutorum c. 2. usque ad principium inquit: Imperii Neronini per omnes Provincias & Civitates per annos 25. Apoſtoli Eccleſiæ fundamenta jecerunt.

Si itaque primis hæc ſæculis contigère, quis nobis ad initium quinti ea in Regione ſanctum Lucanum præfuiſſe Epiſcopum inficiabitur, quæ ampliſſima, culta, & Pars Italiæ fuit? Verúmque hìc eſt iterum aliud Cl. Hanſizii aſſertum, Epiſcoporum antiquiſſimorum Acta ex monumentis extraneis non rarò magìs, quàm ex domeſticis haurienda eſſe. Tacent, non diffiteor Acta Sabionenſia, & Brixinenſia, ſed quis à ſæculo V. ea requirat? Conqueruntur equidem clariſſimi Bollandiani ad dictum diem 20. Junii univerſim, quod nulla monumenta de SS. Bellunenſibus hactenus aſſequi potuerint. Sic tamen de S. Lucano, quæ attulerant, concludunt: *Satis eſt S. Lucani meritam venerationem, qua ſola ipſum gaudere jam oſtendimus hìc aſſeruiſſe.* Sic & mihi ſatis ſunt Bellunenſium & Agordienſium in libris ſuis Liturgicis traditiones in facie Epiſcopi continua ſerie propagatæ, ſe colere Reliquias S. Lucani Sabionenſis Epiſcopi, utcunque ſe habeant acta reliqua. Scimus nomen & locum Epiſcopi, tempus circiter, quo vixit, ubi obierit, ubi ſacræ Ejusdem Exuviæ, atque ubi ac quomodò colantur, & hæc ſatis pro traditionibus noſtris, ut defendi poſſint. Sed nihil reſciri potuiſſe de Sanctis Bellunenſibus ipſis fatentibus Cl. Cl. PP. Bollandianis doctiſſimus Roboretanus Scriptor reponet; cùm conſulti de his rebus Vicarius Generalis & alius Presbyter nihil prorſus extare in Scriptis reſponderint. Verùm potuerunt cæteroquin hi viri ſuis in officiis omni exceptione majores fuiſſe, exinde tamen confectaneum non eſt, indagandis temporum antiquiſſimorum monumentis ſtatim pares aut tantum ipſis otium fuiſſe; nam etiam in omnibus, quas vocant, quatuor univerſitatum Facultatibus homines ſine controverſia ſummi in his rebus parùm aut nihil præſtabunt ſine ſacra aut profana Regionis illius Hiſtoria, exacta Ejusdem Romani & medii ævi Geographia, locorum ferè omnium ex ſingularibus eorundem Tabularibus deprompta notitia, Codicum MSS. plerorumque, & Autho-

Authorum patriorum cognitione, longo Tabulariorum ac Diplomatum uſu, lapidum, Characterum ac Chartarum Pagenſium, omniſque generis monumentorum criſi, Bibliotheca denique copioſa & lectiſſima: aliter planè hæc ſacra non conſtant, ut ex Clariſſimis PP. Bollandianis ferè ſingulis paginis demonſtrari poſſet, ac quæ præcipuè ex monumentis æterna memoria digniſſimis ſummi Pontificis noſtri Benedicti XIV. ad oculum patent.

Viri illi, quas ſcientiæ, quæ publicè hactenus in ſcholis Catholicis traditæ ſunt, exornant, officiis ac laboribus ita occupati plerumque ſunt, ut illis ad hæc ſtudia tempus ſit nullum; nam totum hominem, atque iis, quæ primùm diximus, ſubſidiis probè inſtructum, nulliſque fatigandum laboribus, & unà in his longiſſimo exercitatum tempore requirunt; cúmque uſus harum rerum neque tam frequens, neceſſarius, aut multis perſpectus ſit, & non ſemper Principibus ac Magnatibus cordi ac pretio; luſtra plura abibunt, & vix unum, alterúmve numerabunt. Integrum elapſum fuit ſæculum, quo Tyrolis Matthiam Burgklechnerum, ac Illuſtriſſimum Joannem Jacobum Brandiſium Baronem Provinciæ ad Atheſin Præfectum, Celeberrimóſque Patres Brunnerum ac Raderum ſuſpexit, imò ſeſqui jam ſæculum, ex quo Hiſtoriam naturalem Principum Familiarum, Geographiam ac Topographiam omnem infinito labore ac ſtudio egregiè prorſus exhauſit XIII. Voluminum Parens litteratiſſimus Illuſtriſſimus Marcus Sitticus ex antiquiſſima Wolckenſtainiorum familia Baro, qui ſe totum quantum eruendis Patriæ rebus conſecraverat, etſi & hæc adhuc in ſcriniis latent. Ab integro tamen ſæculo nemo de rebus geſtis, monumentis aut actis ſeu Sanctorum, ſeu Principum Tyrolenſium ſolidi quidquam conſcripſit. Sed hæc per Tranſennam!

Circa res Bellunenſium Sacras cultiori hoc ſæculo edendas non defuturos hodie ſperarem viros ibidem doctiſſimos, ubi vicinæ tot Eccleſiæ in eruendis rebus ſuis ſedulò laborant, aut eas jam feliciter publica luce donârunt: utì Veronenſes, & Aquilejenſes Viri ſummi Scipio Maffejus, & Joan. Franciſcus de Rubeis, Cremonenſes Epiſcopos Cl. P. Zacharia, Mediolanenſes verò Antiſtites Cl. Saxius [heu nuper defunctus!] prælo paratas habeat, Patavinos verò Vir Eximius Brunatius paret.

M 3 Quoad

Quoad S. Lucanum ſufficiunt nobis SS. Reliquiæ, & Eccleſiæ Bellunenſis Traditio, quam etiam nuper admodum ex Actis, unà cum illis, quibus litteratiſſimus Princeps Antonius Croſinus anno 1658 ſolenni legatione Sacras Reliquias petiit probatam accepi: omnia nempe, quæ 25. Martii, 17. Junii, 28. & 29 Septembris, & 10. Octobris geſta & conſcripta ſunt, in quibus ipſum Capitulum Cathedrale ad Eundem Croſinum Epiſcopum *S. Lucanum Epiſcopum & Confeſſorem, olim Epiſcopum Eccleſiæ ſuæ* [Sabionenſis nempe] *Protectorem etiam ſuum* [nempe Bellunenſium] *jam à multis ſæculis compellat.*

Monente enim Viro ſummo Honthemio in Hiſtor. Trev. nuper edita T. I. §. 7. p. XXXVII. *In Traditionibus duo diſtinguenda ſunt: ſubſtantia, vel accidentia. Ad ſubſtantiam ea refero, in quibus traditiones difficiliùs alternantur, qualia ſunt nomina Antiſtitum, dies obitûs Sanctorum, locus depoſitionis, cultus eorum publicus. Accidentibus adnumero, quæ augmentis & acceſſionibus à pietate, vel imprudentia, ſæpè etiam à vanitate hominum magis expoſita ſunt; inter quæ merito numerantur Miracula, plura portentoſa facinora, & quod hujus rei caput eſt, nobilioris proſapiæ gloria, alidque ſimilia. Quæ circa hanc poſteriorem ſpeciem per quinque vel VI. Sæcula ore circumferuntur, antequam litteris conſignentur, rarum eſt, ut in primæva ſua puritate & ſimplicitate, quam veritas amat, ad poſteros tranſmittantur; ſed ut plurimum peregrinarum & admirandarum acceſſione qualitatum ac circumſtantiarum augentur.*

Cæterùm Epiſcopum ego hunc nec invitis Catalogis, nec ſola Philippi Ferrarii auctoritate nixus attuli; imò, unde afferrem, ne dixi quidem: Satìs mihi fuit, coli Agordiæ & Belluni Sacras ejus Reliquias tanquam Epiſcopi noſtri, Acta nec attuli, nec ad ea attendi animum. Dein Hundii Catalogus à Gewoldo auctus hunc Sanctum Lucanum bina jam impreſſione attulit; neque audivi unquam aut legi, prohibitum eſſe veris Epiſcopis, quocunque caſu detectis veros pariter augeri poſſe Catalogos; aliud enim eſt, Catalogis ineſſe falſos Epiſcopos, aliud non omnes; Lacunæ expleri poſſunt, falſi verò deleri debent, & merito etiam veros ſuſpectos reddunt Præſules.

Rationem igitur minimè ſufficientem acta licèt interpolata præbere videntur, quæ S. Lucanum è numero Sabionenſium Præ-

ſulum

ſulum Sæculo V. indubitanter jubeant repellere. Imò neque Materninum (quem erroneè Maturninum ſcripſi) Sæculi dein ſexti medio ſtatim ideò explodere auderem, quòd ejus nomen Actis falſis aut ſuſpectis debeamus, Synodo nempe Gradenſi, cui, ut vult Cenſor meus, auctoritatem maximam adhibui nunquam, ſed diſertis verbis Acta falſa aut ſuſpecta cum Rubeo, Manſio ac Scipione Maffejo p. *66*. pronuntiavi. Defendunt equidem hæc Acta Viri quidam inſignes, Baronius nempe, Noriſius, aliique: mallem tamen ex rationibus graviſſimis à Cl. Rubeo allatis, ea falſa aut certè ſuſpecta credere.

Verùm utut res iſta ſe habeat, non incongruè tamen eidem Præſtantiſſimo Rubeo, & doctiſſimis Fratribus Balleriniis in Diſſertatione Tomo IV. Opp. Noriſ. p. 1061. Hujus Synodi Gradenſis finis, id eſt Epiſcoporum Subſcriptiones legitimæ videntur. Seu enim, ut volunt hi viri eximii, Actorum hujus Synodi Pars prima tantùm conficta ſit, & altera ad Paulini Conciliabulum anno 557. celebratum pertineat, ſeu omnia ad Synodum Gradenſem ſpectent, hæcque vera vel ficta ſit; ſemper ſubſcriptiones veræ videntur. Si primum, quod nempe Pars altera Actorum ad Synodum Paulinianam ſpectet, tunc etiam ipſæ Subſcriptiones veræ afferuntur Epiſcoporum Eccleſiæ Aquilejenſi anno 557. parentium, & in illa Synodo præſentium. Si alterum, quòd Acta omnia Synodum Gradenſem veram referant, tunc de Subſcriptionibus quoque dubium nullum movetur, quòd iterum hi veri fuerint anno 579. ſubſcribentes Epiſcopi. Si tertium, quòd Acta conficta ſint, tunc ne fictio ſe ſtatim prodat, veros finxit, vel fingere debuit illorum temporum, locorúmque Epiſcopos ſubſcribentes; aliàs falſitas ſtatim detecta fuiſſet: & hæc communis eorum ratio eſt.

Ex his pronum eſt arguere, in his actis utriusque temporis Epiſcopos, nempe qui anno 557. Synodo Paulini veræ, & qui anno 579 Gradenſi dubiæ adfuêre comprehendi poſſe. Videamus igitur, quales Sabionenſes (nam circa hos noſtra ſolicitudo verſatur & quæſtio) univerſim legamus.

Chronicon Danduli: *Marcianum Presbyterum locum facientem Viri beatiſſimi Ingenuini Epiſcopi S. Eccleſiæ II. Rhætiæ:* Codex Bibliothecæ Barbarinæ: *Ingenuum Epiſcopum II. Rhætiæ.* Exemplum Synodi Mantuanæ ex Codice Brixinenſi & aſſervato ejusdem in

Valli-

Vallicellanæ Bibliothecæ Apographo *Materninum Sabionenſem Epiſcopum* exhibet. Subſcriptio prima & ſecunda nihil commune habet cum tertia: & ficta aut vera eſt longè magis pro Synodo Gradenſi anno 579. quàm pro illa Pauliniana anno 557. celebrata; nam anno 591. libellum ad Mauritium Imp. certè ſubſcripſerit S. Ingenuinus, ergo illo etiam tempore vivere potuiſſe dicendum eſt; licèt in alterutro Codice una ex his duabus ſubſcriptionibus falſitatis haud immerito argui poſſit; videatúrque ad illam in libello prædicto efformata fuiſſe; ſi enim Marcianus adfuit loco Ingenuini, tunc certè abfuit Epiſcopus, ſi verò hic adfuit ipſe, tunc loco Epiſcopi non adfuit Presbyter.

Atque hæc etiam ratio eſt, cur ſubſcriptionem tertiam Codicis Brixinenſis præhabeam, hujúsque partem alteram ad Synodum Paulinianam cum præſtantiſſimo Rubeo pertinere cenſeam; Materninus huic Synodo anno 557. utique longè conformius ſubſcripſiſſe dicendus erit; cum usque ad S. Ingenuinum anni excurrant triginta quatuor omnino; quòd num calamitoſis illis irruentium Longobardorum temporibus tam frequens fuerit; aut num juvenes ad has dignitates tum promoti fuerint, affirmari equidem neutiquam poterit, ſed quid frequentius accidat, cogitari. Addo ſubſcripſiſſe pariter cum Materno Leonianum Tiburnienſem, & hic tunc temporis anno nempe 557. eidem præfuiſſe Eccleſiæ potuit, anno verò 579. illam probabiliùs haud rexit ampliùs, nam anno 568. eam Slavi irruentes devaſtârant; neque ampliùs poſthac reſtauratam fuiſſe, ſcimus. Et hæc p. 68. dicti mei ratio fuit, quòd Codex hic Vallicellanus mihi *præferri poſſe VIDEATVR.*

Cùm igitur multùm veroſimilis ſit Maternini Epiſcopi ſubſcriptio, hunc meo ſaltem tenui judicio tam audacter expungendum eſſe è Sabionenſium Epiſcoporum Catalogo non putarem: donec certiora afferantur, præcipuè quinam Synodo Schiſmaticæ Paulini adfuerint Epiſcopi, & quinam tempore Synodi Gradenſis ſubjectas Eccleſiæ Metropolitanæ Aquilejenſi Eccleſias rexerint Antiſtites.

CA-

CAPUT XVIII.

Præſertim illum à Francis Sæculo VI. impoſitum, nobis iterum fas erit contendere.

Incuſat me hic eruditiſſimus Criticus, quòd Brennenſem cum Brixinenſi Eccleſia confundere mihi fuerit animus; quod verò per omnem vitam ne cogitavi quidem, multúmque in Conjecturis meis impendi laboris, ut has notiones ritè à ſe diſtinguerem. Quis igitur de Beconenſi ac Brennenſi Eccleſia mihi ſenſus fuerit, breviter repetendum. Pagina igitur 61. loco *Beconenſis Brennenſem* legere *Eccleſiam* Viros ſummos Bollandum, Rubeum, Eckhardum dixi. Quæſtio de tribus Eccleſiis Beconenſi, Tiburnienſi & Auguſtana inter nos movebatur. Rhætiam I. & II. olim Mediolanenſem Metropolitanam reſpexiſſe Eccleſiam exemplis de Tridentina, Curienſi, & Auguſtana, háſque ſibi invicem vicinas fuiſſe firmavi, cui equidem ſententiæ etiam ipſus adhæret: à populis celeberrimis, ut in aliis illorum temporum, etiam Sabionenſem denominari potuiſſe, monſtravi: ea etiam ex ratione, cùm potiori regionis parti id nominis adhæſerit. Pagina verò 133. modò Betovenſem, modò Beronenſem intelligere Hanſizium attuli. Sed inſigni huic Viro minùs faventes ipſum Veronæ Civem, & Decus, Scipionem Maffejum, & Cl. Beretam, tum Urbem hanc nunquam ad Francos pertinuiſſe ſed ad Gothos, monſtravi.

Rurſum Bremenſem eam eſſe Baronio, ſed à Pagio ritè correctum ideò diximus, cùm nondum illo tempore Bremenſis conſtituta fuerit Eccleſia. Unam unicam fuiſſe Populis Brennis, & hanc Sabionenſem comprobavimus: adducta dein gentis hujus Sæculo V. & VI. ex Caſſiodorio Venantio Fortunato, Paulo Diacono, Jornande, Freculfóque celebritate, Rhætiámque cum Norico, & Vindelicia tum Francis paruiſſe, atque hinc Archiepiſco-

pos Galliæ his tribus regionibus Epiſcopos impoſuiſſe ordine ſuo differuimus.

At repetamus controverſa illa Epiſtolæ Schiſmaticorum verba, & examinemus in ſenſu, ùt Scholæ loquuntur, ſtrictiſſimo: *Sed quia Galliarum Archiepiſcopi Vicini ſunt, ad ipſorum ſinè dubio ordinationem accurrent, & diſſolvetur Metropolitana Aquilegienſis Eccleſia ſub veſtro Imperio conſtituta, per quam Deo propitio Eccleſias in gentibus poſſidetis, ut quod ante annos jam fieri cœperat, & in tribus Eccleſiis noſtri Concilii, id eſt Beconenſi* (Bremnenſi in Baronii Codice) *Tiburnienſi & Auguſtana, Galliarum Epiſcopi conſtituerant Sacerdotes: & niſi tunc divæ memoriæ Juſtiniani Principis juſſione commotio partium noſtrarum remota fuiſſet, pro noſtris iniquitatibus penè omnes Eccleſias ad Aquilejenſem Synodum pertinentes Galliarum Sacerdotes pervaſerant.*

Ex his ad oculum patet, tales has tres tum fuiſſe Eccleſias, quibus vicini erant Galliarum Archiepiſcopi, illis nempe regionibus, quas à Vitige ceſſas Juſtinianus Imperator Francis permiſit, & ego p. 154. Noricum Rhætiam & Vindeliciam fuiſſe ex optimis Authoribus probaveram. Illæ denique intelligendæ ſunt Eccleſiæ, quibus Rex Franciæ Epiſcopos potuit imponere, quod vi Legum Alemannorum & Bajoariorum in eorundem Illi licuit Eccleſiis: cùm Eccleſiæ devictarum à Francis Provinciarum fuerant.

Sed quid nodum in ſcirpo quærimus? ipſi hujus Epiſtolæ Authores, quo ſenſu contenta in hac accipi debeant, ſeſe ſatis ſupérque explicant: *humiles Epiſcopos Venetiarum, Iſtriæ ac Rhætiæ ſecundæ* ſe ipſos compellant. At ſi brevitatis hæc duntaxat cauſâ id factum contendas, ſubſcriptionem ipſam D. Ingenuini noſtri, quem Authores aliàs, & Acta Schiſmaticorum alia, diſertiſſimè *Epiſcopum de Sabiona* compellant, aut *Sabionenſem*, inſpicere non pigeat: non à Sede hac ille, ſed à Regione cognomen ſuum adſcripſit Sanctus hic Præſul: INGENUINUS *Rhætiæ ſecundæ Epiſcopus,* non verò Sabionenſis.

Variabant nempe in ſuis Subſcriptionibus Præſules, & ſe modò *urbium & Provinciarum Epiſcopos*, ut in Concilio Antiocheno apud Harduinum f. 159. Item in Antiocheno alio f. 592. ubi *cæteri ex Provinciis Palæſtinæ, Phœniciæ, Syriæ Cœles, Arabiæ, Meſopota-*

ſopotamiæ, Ciliciæ, & Iſauriæ Antiſtites ſe compellârunt. Alii verò in Sardicenſi f. 561. *à Pannoniis, Palæſtina, Arabia* & *Achaja:* & iterum in Seleucienſi f. 729. *Lydiæ, Libiæ* & *Arabiæ* Epiſcopos ſe nominârunt. Ut Synodum Carthaginenſem ad annum 525. f. 1081. ſubticeam, in qua ſe ultra quinquaginta Antiſtites à PLEBIBUS ſuis cognominârunt.

Ut ita exemplô hujus primi ſubſcribentis Epiſcopi, qui ſibi à Regione cognomen aſſumpſerat, etiam Eccleſia ipſius, quæ à celeberrimo ejus Regionis Populo nomen ſibi proprium reddidit, eò meliùs intelligi, ac faciliùs percipi poſſit.

Quin primis Eccleſiæ temporibus, ut Vir ſummus Thomaſinus T. I. P. I. c. 54. n. 3. notat: *Ordinabantur non Civitati uni ejusmodi Epiſcopi, ſed univerſæ Nationi, propterea, quod perſæpe ne nota quidem erant Civitatum nomina.*

Quid enim prohibet, ad gentes Rhætiæ, ad integram hanc nationem miſſum fuiſſe unum vel alterum Apoſtolum, Epiſcopum Regionarium, qui apud celeberrimum ejusdem diſtrictûs populum Brennenſem fructus collegit tam amplos, ut Epiſcopus ipſe, & Eccleſia hæc Brennenſis poſthac audierit? Si enim Veldidena ſub *Breunorum oppido* comprehendi, & à Gregorio Turonenſi *Caſtrum apud Breonas* dici potuit, quidni etiam Eccleſia ibidem tanquam inter reliquas præſtantior locô omnium *Brennenſis* compellari potuit?

Verùm cùm iſta non ſufficiant eruditiſſimo Cenſori Roboretano & ſub vocabulo *Beconenſi* latere vel Eccleſiam *Bellunenſem* vel *Petovienſem* velit, quid circa utramque notari oporteat videamus.

Circa Bellunenſem primò omnium advertimus Plinio teſte Bellunum non in Rhætia, ſed Venetia ſitam eſſe. Berunum enim, ut Pierius Valerianus voluit, vocatum fuiſſe, exploſa dudum à viris doctis fabula eſt: de Veruno, Viruno, ne cogitandum quidem, ex quo hoc oppidum Plinius Norico adſcripſit. Neque Francis quidquam cum his Eccleſiis; *periculum* tantùm *erat*, ait Clariſſimus Rubeus, f. 192. *ne Venetiæ Eccleſias pervaderent*, quod Juſtinianus Imperator utique impediit. Scio Laurentium Belluni Præſulem S. Ingenuini Collegam in Schiſmate fuiſſe, ſed & teſte Cl. Rubeo in hujus Eccleſiæ Catalogo, aliisque adſtipulanti-

N 2 bus

bus primus omnium hujus loci Epiſcoporum idem Laurentius fuit, minimè à Francis impoſitus, id enim *ante annos* factum dicunt, & nemini ex ipſiſmet contigiſſe affirmant.

Poſt Bellunenſem fortè *Petovienſem* ſeu *Petovionenſem*, aliis *Petabionenſem*, erui poſſe Eccleſiam, Vir Clariſſimus arbitratur. Verum ea certa Norici civitas non eſt, ad Pannoniam plures trahunt. Dein in Monumentis Aquilejenſibus nullibi prorſus cujusdam Petovienſis Epiſcopi occurrit mentio; atque hinc inter Provinciæ Epiſcopos omiſſi Petovienſes Præſules. Francos unquam reſpexiſſe eò minus affirmare auſim, quòd in Pannoniæ finibus certè ſita fuerit, qui tum perpetuis barbararum gentium ſibi invicem ſuccedentium & migrationibus & injuriis patuêre. Qua ratione verò migratio *Beconenſis* in *Petovienſem*, *Petovionenſem*, ſeu *Petabienſem* procedere tam levi brachio ſinè offenſa queat, alii extricent.

Qui verò Patavienſem alteram in Norico interpretari malunt, quam ægrè ex Beconenſi exſculpi poſſit, non attendunt; ignari ſane Laureacenſem Metropolim vix aliquot mille paſſibus à Caſtris Batavis diſtare. Norici dein Epiſcopum jam habemus Tiburnienſem, habemus Vindeliciæ Auguſtanum; jam ſuum tertiæ Rhætiæ nempè, quas Franci ſubegerunt, & Juſtiniano volente, poſſederunt Franci, cum cura quæramus.

Duo hîc præcipuè conſideranda veniunt, primum eſt, in quibus bina tantùm Libelli Schiſmaticorum ad Mauritium Imperatorem ſupplicis quæ ſuperſunt, exempla differant, alterum, qua ratione omnium aptiſſimè utrumque inter ſe conciliari poſſit.

Nulli hactenus ex ſedibus Aquilejæ ſubjectis, quæ Franciæ quoad inſtituendos, aut ſaltem approbandos a Rege Epiſcopos fuerant, ritè utraque nomenclatio concordare viſa eſt, cogimur igitur aſſerere, librarium utrumque erràſſe; id officii modò noſtri eſt, ut errorem diluamus, & qua ratione facillimè committi potuerit, exponamus: & ſanè duo apices tantum vel omiſſi, vel injuria temporum deleti, & unica Litterula præpoſita totum diſcrimen faciunt, quo uterque Libellus à ſeſe, & à vero nomine differt.

Acci-

Accipiamus igitur Baronii exemplar, utpote priùs productum, *Bremenſis* id habet: primus igitur in littera *m* apex ſic ſcribitur: [ı] liceat nobis credere hunc apicem non eſſe tertiam partem litteræ *m*; ſed dimidium litteræ *o* cujus pars prior [*c*] deleta, & tunc legitimum prodibit nomen: *Breonenſis.*

Poſſem equidem eadem methodo dicere, deeſſe mediam partem litteræ *n*, hanc nempe [ı]: & dein produceretur ejusdem omnino ſenſus vox *Brennenſis*, ſed malim vocabulum hoc *Breonenſis* cum illius ac præcedentis Sæculi Scriptoribus Caſſiodorio, Venantio, Fortunato, ac S. Gregorio Turonenſi à Breonibus quàm cum Horatio, Trophæo Alpium Auguſti apud Plinium, ac Floro à Brennis mutuare. Exemplar alterum Harduini ex Sirmondi Schedis *Beconenſis* exhibet: Litteram *c* ſic exprimunt Librarii: quid ſi deletus in hujus litteræ fronte unicus tantum apex inſtar accentûs etiam minimi, ſic exempli cauſâ: (*'c*) hic ſanè litteram raucam *r* formâſſet; atque hinc verum iterum nomen gentile *Beronenſis*, ac littera *e* poſtpoſita ſimillimum alteris *Breonenſis* expreſſiſſet. Factum equidem ita fuiſſe ignoramus, minimam tamen culpam agnoſcere, convenientiùs duco.

Ridebunt fortâſſe has, ut putabunt, quisquilias nonnulli ſeveriores Critici: verùm obvia hæc eſſe omnis ille affirmabit, cui longiori uſu exempla illa perſpecta ſunt, quæ Librarii ex Codicibus manuſcriptis, Diplomatibus, aut Inſtrumentis aliis ſolent conficere; punctum eſt, & apex non raró dimidius duntaxat, qui non tantùm corruptum verbum reddit, ſed & totum ſenſum, & conſtructionem verborum integram feliciter evertit.

Imò neque omnis, neque prima ſemper in librarios culpa cadit; Diplomatum plicæ, locorum humiditas, frequens per iteratam deſcriptionem attritio, & diſpar atramenti conditio quid non poſſunt? contractam ſemel læſionem, niſi peritus ſit admodum, neque advertit tum, neque corrigit librarius; ſatìs eſt, ſi fideliter in deſcribendo prout rem invenit, verſatus ſit.

Verùm nec ſolis codices deſcribentium nævis res ipſa conficitur; rationes adſint, oportet, quæ propoſitam confirment quæſtionem. De tribus Provinciis jam ad ſæculi hujus initium No-

 rico

rico nimirum, Rhætia, ac Vindelicia partim ſubactis, dein etiam partim per Gothos ceſſis, atque à Juſtiniano Imperatore vel ingratiis ſuis permiſſis egimus antea: in ſingulas Regi liberum erat (ut fuſiùs in parte altera diſſeremus) Epiſcopos mittere, aut ſaltem à Clero & populo electos probare: fortè autem miſſi hi Præſules à Francicis Archiepiſcopis conſecrati jam erant antea; atque hinc illæ lacrymæ & querelæ Schiſmaticorum! imò quod non inveriſimile, gnari poſt medium Sæculi VI Schiſmatis Aquilejenſis Francorum Reges Epiſcopos illos Tiburniæ, Auguſtæ Vindelicûm, & Rhætiæ imponendos noluêre forſitan conſecrari à Schismaticis, ideoque à ſuis orthodoxis Archiepiſcopis hos ſuos ordinari Præſules curârunt: aut fortè etiam haud probârunt à Clero & Populo Schiſmatico electos Epiſcopos. Nam impudenter gloriari hi Præſules auſi ſunt: *Cum univerſo Populo nobis credito defenſioni capitulorum ipſorum & reverentiam exhibemus, & à communione damnantium cum divina gratia abſtinere dignoſcimur.* Et iterum: *Cujus* (Sancti Gregorii M.) *communionem ab initio motionis cauſæ hujus usque nunc deceſſores noſtri & nos cum omni populo evitamus.* Ac tandem: *Sic accenſi ſunt omnes homines plebium noſtrarum in cauſa iſta, ut ante mortem perpeti, quàm ab antiqua Catholica patiantur communione divelli.* Hanc nempe larvam Schiſmati inducebant. An non rebellis Regi credi poſſet Ingenuinus noſter, quòd Bajoariæ clientelari nexu Francorum Regibus ſubditæ Epiſcopus, & quidem primus ſubſcribentium dicere cum reliquis auſus ſit: *Nos peccata noſtra ad tempus graviſſimo jugo gentium ſubmiſerunt?* Et iterum: *ad Sanctam Rempublicam veſtram* (græcum Imperium) *ſub qua olim quieti viximus, adjuvante Domino redire totis viribus feſtinamus:* Rurſúmque: *quousque compreſſis gentibus ad libertatem omnes Sacerdotes noſtri Concilii ſub Sancta Republica pervenirent:* quin & hoc: *in Jugo barbarico opportuno tempore ad veſtræ pietatis veſtigia occurramus.* Denique ſub finem gravem utique injuriam Francorum Regibus inferunt, dum periculum per Galliarum Epiſcopos Metropolitanæ Eccleſiæ imminens forſitan fingunt ipſi, futurúmque putant, *quod jam factum in tribus Eccleſiis ſui concilii,* à Francis nempe impoſitos Epiſcopos, etiam in reliquis Sedis hujus Metropolitanæ Eccleſiis? & ſic *diſſolvendam Aquilejenſem earum Principem ſub græco Imperio conſtitutam, per quam Deo propitio Eccleſias*

Digitized by Google

cleſias in gentibus poſſidet. Addunt demum, niſi Juſtinianus impediiſſet, *omnes Eccleſias ad Aquilejenſem Synodum pertinentes Galliarum Sacerdotes pervaſerant:* ſi nempe plurima Venetiæ, quæ ceperant loca, Francis remanſiſſent. Niſi dicere fortè malimus Libelli ſenſum ita explicandum eſſe, Ingenuinum noſtrum locutum eſſe non de ſe ſolo, ſed qualis erat ſenſus plurium.

Noverant hi Præſules disjunctos Mauritii & Regum Francorum animos, noverant jus horum principum in Eccleſiis, Norici, Rhætiæ, ac Vindeliciæ inſtituendi & approbandi Epiſcopos: cur utuntur hoc veluti ad finem movente ariete, & exemplo Francico, ut Mauritium ſibi adverſus S. Gregorium concilient? Hæ etenim pariter in gentibus tum fuêre Eccleſiæ: Tiburnienſem Slavi occupârunt, gentiles omnes; Vindeliciam Alemanni iterum Ethnici; Rhætiam in Alpibus utut Catholicám, cum reliqua Bajoaria, cui accenſa fuit, comparabant, in quo pauci tum Catholici, Hæretici multi ac gentiles cæteri fuerant. Atque ita intelligi poteſt Pauli Diaconi aſſertio c. 16. allata: *ad fines* GENTIUM *Alamanorum & Bajoariorum.* Verùm hæc conjectandi, & non argumenti aſſerendi, quo quidquam probare nitimur, gratiâ.

Libertate igitur Regibus Franciæ inconcuſſa permittendus eſt Norico, & Vindeliciæ Epiſcopus, admittatur igitur & Tertiæ Rhætiæ ſuæ Epiſcopus, qualem etiam ſe ſubſcripſit Ingenuinus ipſe, *Rhætiæ* nempe *ſecundæ Epiſcopum.* Quid enim impedit, à Populo totius Diœceſis principe ac totius regionis celeberrimo compellatam fuiſſe hanc Eccleſiam, poſt quàm Ingenuinus ipſe ſe neutiquam à Sede ſua, ſed à regione aſſumpto Epiſcopi titulo ſubſcripſit? Correctio denique omnium facillima eſt, ut utrique Codici apprimè conveniens. Abſit autem, ut hæc obtrudere cuiquam tanquam rem certam velimus; veriſimilitudinem cæteris majorem noſtris ineſſe rationibus cenſemus; ſi alii afferant pro ſedibus aliis ſententiam convenientem magis, aut nos non ritè ſenſiſſe commonſtrent, non inviti acquieſcemus: interim autem ſtat pro ſententia noſtra probabilitas tanta, ut impoſitus à Francis Epiſcopus ſuſtineri poſſit ac debeat, donec majori rationum pondere ſubruatur.

CAPUT XIX.

Conſideratiſque his omnibus etiam opinari, hanc Diœceſin S. Caſſianum Martyrem ritè tanquam ſuum Antiſtitem colere.

Pia hactenus pro cultu D. Caſſiani, tanquam Apoſtoli ac Epiſcopi noſtri bella geſſimus: num ritè id factum, Viri Litterati, ab omni partium ſtudio alieni, judicabunt. Et imprimis quidem Arietem illum Ratisbonâ à Viro Præſtanti Mabillonio allatum, & qui Sabionam vehementiori impetu concutere videbatur, removere ab hac Epiſcopali Sede antiquiſſima conati ſumus, Anonymum nempe Poëtam illum; utpote quem de ſui tantùm ac proximè elapſi Sæculi Præſulibus circa tempus duntaxat illud, quo Sedium in Bajoaria ordinem conſtituit, finéſque omnibus diſtinxit firmavitque D. Bonifacius, ſollicitum fuiſſe monſtravimus, nec tanti roboris eſſe, qualem prima fronte præſeferebat, perveſtigatione ſingularum partium conſtitit. Habet Patavium, habet Ratisbona Præſules indubios, quos ille neglexit. Et ſanè in iis Sedibus, quæ ante illa, quæ primùm memoravimus tempora, ſuos Epiſcopos numerant, non usque quaque curatiſſimum fuiſſe, nemo hodie, ni vehementer fallor, contendet acriùs. Repulſo ſemel hoc belli Machinatore Anomalo, utpote qui inter Epiſcopos Sabionenſes agmen ducere prohibuit Divum Caſſianum noſtrum, ſed hoc Veterano Duce neglecto horum Præſulum ordini S. Ingenuinum præfecit, videri quidem poterat (& etiam non paucis in re Litteraria exercitatis Viris, multáque ſtipendia meritis ita viſum eſt) debellatum fuiſſe. Quin imò fuêre, qui triumphum de me adverſæ jam parti, licèt nondum finito bello hoc Litterario, cenſurâ typis datâ gratulati ſunt.

At

At luſtrato Brixinenſi Tabulario inſtructiſſimo, quod mihi utique armamentarii loco fuerat, animum erigere cordatior jam ipſus cæpi. Aderat præter ſpem (ita loqui mihi fas ſit) ingenti numero veteranus miles: Imperatorum *invictiſſimorum* ex gente Carolingica, Saxonica & Francica Signa complura: quæ ſequi etiam Paganos, ſeu potiùs Pagenſes multo delectu oportebat, quibus nefas videbatur, Ducem alium ſequi ac colere, niſi Anteſignanum Præſulem omnium, Divum Caſſianum noſtrum. Sed hæc belli hujus Sacri cauſâ bona Lectorum pace, & quia hæc Controverſia multis velitationibus doctorum hominum anſam præbuit, dicta ſunto. Jam ad rem ipſam. Confutandus utique ante omnia, & quidem non perfunctoriè, aut conjecturis duntaxat, ſed argumentis ac documentis erat Anonymus: arma armis opponenda, documenta ſuæ, & quæ proximè ipſum præceſſerat, ætatis afferenda; quæ cum non infeliciter, ut opinor detecta, & allata ſint: & ab illo quidem tempore, quibus locum adhuc fabulis nequaquam fuiſſe, conſenſus Authorum ſtatuit, cultus S. Caſſiani ſaltem in genere (ut Scholæ loquuntur) & probatus eſt frequenter, & probatus ex vero dici poterit. Verùm cum Diplomata & Chartæ Pagenſes neque in noſtris, aut vicinis Tabulariis omnibus repertæ, Nomen *Epiſcopi* ſemper ſubticeant, convenienter ad ſtatum reliquum Rerum Sabionenſium docendum fuerat, ſpectatis omnibus rerum circumſtantiis cultum aliter niſi de Apoſtolo, ac primo Paſtore noſtro intelligi vix poſſe.

Inanis autem hic omnis conatus fuiſſet, niſi illo quo circiter vixit hic Imolenſis Martyr tempore, ita conſtituta fuiſſet ac culta aliàs hæc Regio, ſeu Diœceſis ampliſſima, ut fidem ac Chriſti ſacra recipere, tótque oviculas numerare potuerit, quæ Paſtore aliquo ferè citra Controverſiam indigeret.

Sed cùm hiatus poſthac trium circiter Sæculorum fortè fidem etiam primo Paſtori abrogâſſet, aut extenuâſſet ad minimum; aliqua ſaltem non omnino aſpernanda argumenta à nobis inter conjecturas priùs allata digerenda erant iterum, monumentúmque illud ſingulare, & antiquiſſimum, Templum Divi Laurentii nimirum Brennenſe animo luſtrandum fuerat; ut quid his inſit pro Sabionenſi Eccleſia, luculentiùs pateret.

O Ego

Ego ſanè aut nihil, aut hoc certè video, ſi hæc cultûs documenta noſtræ Diœceſi non ſuffragentur, fortè paucis aliis ſedibus, quæ à ſecundo ac tertio poſt Chriſtum natum ſæculo ſuos Apoſtolos venerantur, iſtiusmodi cultus Sanctorum Præſulum ſuorum indulgeri poterit. Si enim documenta Sæculi VIII. IX. & X. etiam ſeverioribus Criticis probantur, noſtra quoque attendantur neceſſe eſt.

Si autem dubium ſuperſit, num Sanctorum quiſpiam omni ex titulo, quem præſefert, pro tali ſemper cultus fuerit, hoc utique ex circumſtantiis reliquis, ac libris, qui ſuperſunt Liturgicis omnibus ſupplendum erit, qui quo ſenſu Diplomata, & alia Monumenta loquantur fuſiori contextu ſuo, ſaltem circa rem præcipuam concordantes, explicant.

Incredibile enim mihi prorſus videtur, ampliſſimam, ac celebrem Diœceſim aliquam, perdere poſſe omnem memoriam primi Apoſtoli ſui de ſe optimè meriti, aut eam, quam habet, omnem omnino vaniſſimam eſſe.

Cùm igitur, ut monſtravimus, tam conſtanter & ordinatè cultus S. Caſſiano, à Sæculo VIII. usque ad noſtra tempora à Sabionenſi ac Brixinenſi Eccleſia exhibitus fuerit; is aliter exhiberi potuiſſe, niſi tanquam primo Apoſtolo noſtro, neutiquam videtur; nam ut c. XIII. monſtravimus, in nulla ex duabus Eccleſiis Cathedralibus ſibi ſuccedentibus unquam Patronus princeps fuit, ſed Sabionæ Beatiſſima Virgo, & Sancta Crux: Brixinæ verò S. Stephanus, S. Petrus & Paulus, ac iterum Sanctiſſima Deipara ſibi in Patronatu ſucceſſerant. Accedit (nam & hoc non raro uſuvenit) quòd neque Sacræ Caſſiani Reliquiæ ullæ ante Sæculi noſtri initium, decimi octavi nimirum, adfuerint. Longè alia ergo, & diverſa ab Eccleſiæ Patronatu, aut Sacris Lipſanis ratio adfuerit, neceſſum eſt, quòd ſemper, & velut unanimi Diplomatum ac Chartarum Pagenſium conſenſu inter primos ac celebriores; & quidem per tria Sæcula cum S. Ingenuino primùm, deinde verò ab undecimo cum S. Ingenuino & Albuino, certis ac præſtantiſſimis Epiſcopis noſtris conſtanter compareat, & ita quidem compareat, quemadmodum in aliarum Eccleſiarum, uti &

in

in noſtris Diplomatibus univerſis earundem præcipui Sancti Præſules leguntur. Si inſuper, poſtquàm ceſſant Diplomata, mox miro iterum conſenſu in tota Diœceſi Libri Liturgici omnes, etiam quotquot ſuperſunt, antiquiſſimi diſertis verbis hunc tanquam Martyrem & Epiſcopum noſtrum celebrent, atque idem ipſum Martyrologium Antuerpienſe-maximum, Neocellenſe, & Cremonenſe Uſuardinum ſimili tenore loquatur: rurſùmque cultus tanquam Epiſcopi Eccleſiarum antiquiſſimarum Aquilejenſis, Imolenſis, Venetæ, Ratisbonenſis, quin & Salisburgenſis accedat: ritè & ordine Eccleſiam Brixinenſem facere utique dicendum erit, ſi hunc ulteriùs tanquam ſuum colat primum Apoſtolum & Paſtorem, S. Caſſianum Martyrem. Hanc igitur cultûs antiquiſſimi poſſeſſionem ex primigeniis nunc documentis probandam, ſicuti nullius juſſu, aut ſtipendiis, ita & in nullius gratiam ſuſcepi. Pro aris Sanctorum Præſulum ſi feliciter depugnavi, non plauſum, non gloriam ſpectavi: neque hanc, (quam merentur maximam) Adverſariis meis, viris doctiſſimis invideo. Arenam ingreſſus ſum invicto S. Caſſianum defendendi deſiderio, cujus Epiſcopatum Viri Eruditiſſimi complures documentorum penuria adacti vellicabant, his me oppoſui majori fortè tam animo, quàm belli apparatu; hinc & Titulum præfixi modeſtiſſimum. Nactus dein ſum Adverſarium magni jam nominis, plaudebant Spectatorum aliqui, & vehementiorem hoſtis impetum illiberali animo mihi haudquaquam invidebant: alii verò circumſpectiores malignam hanc mentem averſati, & quantùm rei antiquariæ, Hiſtoriæ, Diplomaticæ, veræ Critices, Geographiæ antiquæ ac mediæ ſtudium rebus patriis tam ſacris quàm profanis feliciter eruendis firmandiſque præſtet, probe callentes, de ſuppetiis mihi ferendis, & majori apparatu prudenter admodum cogitabant. Viris his genere, prudentia, morum munerúmque gravitate maximis tandem debeo, ſi quid in re ardua dictum eſt utiliter. Præmium his, licèt admodum ſerò (nam Superos rogabo, ut eos quàm optimè ac diutiſſimè utrique Reipublicæ ſervent!) uti & mihi demum non exopto aliud, quàm quod Caſſianus ipſe per ſudores ſuos in convertendis majoribus noſtris quæſierat, atque eapropter nos quoque grata mente in defendendis ejus honoribus recolere oportet; illud nempe quod olim teſtibus

O 2 per-

perantiquis Codicibus Liturgicis, præeunte Eccleſia Brixinenſi matre, filiæ & oviculæ omnes rogabant:

Præſul Urbis Sabionæ
Nos agnoſce Paſtor bone
Ut nos - - - - -
De ſiniſtris excepti gregibus
Statuamur in dextera paterna.

Atque inter hæc vota etiam ipſe, cùm *cultûs documenta* ſaltem *magìs præcipua*, attulerim, arenâ excedo; neque aliorum lites, quæ aut natæ ſunt, aut naſcentur impoſterum, meas facio. Poterunt ii felicius mea pace his bellicis laboribus cum gloria etiam impoſterum defungi, quos tempus ſufficiens, major Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ uſus, ſubactúmque Sacræ Critices exercitium longè aptiores reddidit. Publicum verò Litteratum omnibus precibus obteſtor, ut conatum hunc æqui bonique conſulat, & non quid præſtare decuerit, ſed quid in tanta rerum caligine & antiquitate potuerim juſta lance trutinet, decernátque.

ERRA-

ERRATA.

Abſente ac remoto nimium authore non potuit non errare Typographus; veniam igitur Lector benevolus dabit, atque errores leviores ipſe prudentiâ ſuâ facilè corriget; reliquos autem ſic emendabit:

Pagina 22. linea 7. pro *æra vulgaris* 817. leget *æra vulgaris* 717.
- - 22. - - penult. - - *Sigirum* - - *Sigiricum.*
- - - - - ultima - - *Ercbanſildum* - - *Ercbanfridum.*
- - 27. - - penultima poſt verba: *ſed ſatis* comma ibi poſitum ponatur poſt proximum verbum: *eſt*,
- - 29. - - 16. - - *Caſſianus* - - *Conſtantius.*
- - 32. - - 20. poſt verbum: *nanciſci* deleatur vocula *non.*
- - 35. - - 35. - - *Incbinus* - - *Incbing.*
- - 43. - - 15. - - *Scbcabs* - - *Scbäbs.*
- - 44. - - 14. - - *remotum* - - *remota.*
- - 47. - - 26. - - *Francofortiam* - - *Francofurt jam.*
- - 59. - - 21. - - *excuſum, ibi* dele comma medium.
- - 77. - - 15. - - *Caſtrum Ruptum* - - *Caſtrum ruptum.*
- - 85. - - 4. - - *breviore* - - *breviori.*
- - - - - 33. - - *per Alpum* - - *per Alpem.*
- - - - - 34. - - *rapito,* - - *rapido* & comma deleatur.

Denique Pag. eadem 85. linea 35. verba omnia tribus verſibus appoſita: *Sed fallitur Vir doctiſſimus uterque* nulla ratione ad hos verſus pertinent, ſed ad contextum ſequentem; atque hinc aliis quoque, & iis, quibus idem textus reliquus excuſus fuit, exaranda fuiſſent.

DIS-

Digitized by Google

Digitized by Google

DISQUISITIONIS
EPISTOLÆ
TARTAROTTIANÆ
DE
SANCTI INGENUINI
SABIONENSIS EPISCOPI
ACTIS

PARS POSTERIOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

ELENCHUS CAPITUM.

CAPUT I.

Syſtema Contrarium de Divo Ingenuino affertur, & Ordo noſtratis recenſetur.

CAPUT II.

Traditiones noſtras de S. Ingenuino in Officio Brixinenſium Proprio contineri, tam certò aſſeri poſſe, haud ſuſpicamur.

CAPUT III.

Neque Pauli Diaconi errores cultui hujus Sancti Præſulis anſam præbuiſſe.

CAPUT IV.

Longè minùs autem verum eſt, irrepſiſſe in Martyrologium Romanum poſt novem primùm Sæcula, & velut precario.

CAPUT V.

Cùm præcipuè in Francica ſatìs maturè relatus ſit: ejus rei cauſæ indagantur.

CAPUT VI.

Brixinæ inſuper jam Sæculo octavo cultum fuiſſe, monſtrari poſſit.

CAPUT VII.

Adſunt & alia cultûs monumenta primo ſtatim anno poſt Sæculum nonum.

CAPUT VIII.

Ac varia Documenta decimo & proximis Sæculis: præcipuè plurima ab ejus Cultore eximio S. Albuino.

CAPUT IX.

Neque infirmum prorſus argui poteſt Anonymi Mabilloniani Teſtimonium.

CAPUT X.

Excuſandi itaque Noriſius & Bollandus, tum Sanctitatem ex cultu, tum Converſionis cauſam adſtruentes.

CAPUT XI.

Tentatur quoque media inter Baronium, Pagium & Raderum de Exilio Sententia.

CAPUT XII.

A Schiſmate igitur receſſiſſe adhuc Sanctum Antiſtitem noſtrum, credendum eſt.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT I.

Syſtema Contrarium de Divo Ingenuino aſſertur, & Ordo noſtratis recenſetur.

Percepimus hactenus, quid circa S. Caſſiani cultum doctiſſimus attulerit Adverſarius: nunc neſcio, qua motus ratione longè vehementiori impetu, in S. Ingenuinum inſurgit, & Numero ſtatim XVII. *Monumenta Brixinenſium, quibus Sabionenſis Eccleſiæ Hiſtoria continetur, non adeò ſincera & conſona videri aſſerit. Id ne gratis aſſertum fuiſſe putem, ſimúlque ne cuiquam mirum videatur, Brixinenſes Patriæ ſuæ decus uberiùs amplificare quàm veritas fert*, ad acta Divi Ingenuini progreditur, recenſens quidquid in Libello Schiſmaticorum & in Paulo Diacono eſt reliquum, putátque quòd nihil præterea ad nos tranſmiſerit antiquitas: mox Cl. Bollandi Conjecturam, quòd fortè ſtudio Theodolindæ converſus fuerit, rejicit; *nihil commune Theodolindæ cum Ingenuino* fuiſſe, & *Sanctum habitum nullo ſuo merito*, affirmans.

Erraſſe dein Diaconum & alios multos doctè probat.

Digitized by Google

Ex hoc fonte (Pauli nempe Diaconi errore) *tum excellentem de Ingenuini ſanctitate opinionem, tum cultum ipſi à Brixinenſibus præſtitum ſuſpicari par eſſe* credit, *quæ omnia Martyrologii Romani Reformatoribus occaſionem deinde præbuerunt, ſanctis illum adnumerandi.* Recenſet tum notas à Cardinali Baronio, in Martyrologio ſuo ad feſtum S. Ingenuini & Æbuini V. Februarii die, & addit: *Ex his liquidò conſtat, Bartholomæum Tridentinum & Petrum de Natalibus ſanctitatis Ingenuini Teſtes eſſe antiquiores.*

Tacere dein alia Martyrologia adjungit, atque mox, quid Bartholomæus Tridentinus de S. Ingenuino Teſtatum reliquerit; *omnia ex Pauli Diaconi lacunis hauſta eſſe*, affert, Petro quoque de Natalibus aliqua improbat. Diverſorum dein de Exilio ſententias ritè perpendit. *Obſuſcatum* quoque *Anonymum Mabillonianum videri, & nullam in Antiquioribus Diplomatibus S. Ingenuini Commemorationem inveniri, & Patronum primùm poſt Sæculum X. electum* contendit.

Ac ſi ita ſit, pergit, *cur tamdiu neglectus jacuit, ut non uno atque altero poſt ejus mortem anno, ſed quatuor demum tranſactis ſæculis publicus ei honor delatus ſit?*

Quæ dein ex Paulo Diacono in Proprium Brixinenſe delata ſunt, tanquam ſolum & unicum Teſtimonium Sanctitatis S. Ingenuini nobis acerbè obtrudit, in hæc verba prorumpens: *I tu nunc Roſchmanne! & te jacta Brixinenſium documenta quamquàm recentiora, ſincera tamen eſſe, & antiquitati perfectè conſona, atque adeò temerarium & emotæ mentis voca eum, qui illis acquieſcere nolit.*

Ego verò (ut hic interpellem) nec S. Ingenuinum, nec Proprium defendi hactenus, & hoc ultimum neque poſſum; neque cauſam in me recipio, ut dixi; viris duntaxat doctis ea, quæ circa cultum hujus Sancti Præſulis inveni, proponenda cenſui; illorum erit decernere, quis de tanta antiquitate ſi non probatiora, ſaltem veroſimiliora attulerit.

Brixinenſis poſtea Officii Conditores, & multa in hoc erronea non immeritò reprehendit, malè tamen, ut mitiſſimè dicam, addidit: *Si Ingenuinus Schiſmaticus erat, erat tamen Chriſtianus, erat Epiſcopus - - - - Baſilica illa Templum Dei erat, etſi ejus Epiſcopus Templum Diaboli eſſet.* De reſtaurata nimirum per Theodonem Sabionenſi ſede illi cum Bollando ſermo fuit.

Sicuti

Sicuti poſtea cum Radero, quibus tamen veniam dandam eſſe cenſet, & mecum quoque liberalius agere videtur: *Si* (inquit) *ante Pauli Diaconi ætatem publicum à Brixinenſibus cultum oſtendere potes, ipſe quoque volens lubensque manus dederim; at ſi id non potes; conde quæſo tua calendaria: neque enim negamus, ſequiori ævo eum illi honorem jam à pluribus ſæculis tributum fuiſſe.* Intellexit nempe Vir Sagax, rariſſima eſſe in noſtra Germania Sæculi VIII. documenta, & ab annis propemodum mille pleraque periiſſe. Librorum verò Liturgicorum illius temporis ſtragem ignorantiam & membranæ utilitatem feciſſe, nullis ſufficienter lacrymis deplorandam utique & ipſe dolet.

Sed jam ad miracula progreditur, & Eccleſiæ Brixinenſi honorem tribuit, *maturè à Schiſmate receſſiſſe, id ſaltem proximè ab obitu ſub Maſtulone accidiſſe.* Sed mox diminuit, *& re minùs perpenſa neque ad Examen revocata publicum tandem huic ſuo Præſuli Venerationem, cultúmque decreviſſe: quæ omnia Martyrologii Romani Curatoribus fucum fecêre, adeò ut Ingenuino tandem locus datus ſit. Illud idem erga alios ejusdem Cœtûs Epiſcopos profectò accidiſſet, ſi faciles adeò Cives* (uti Brixinenſes fuêre) *inveniſſet*, licèt Exempla, quæ affert adverſarius, in Italia & non apud ſimpliciores in Religione, ut illos nominat, Germanos contigerint.

Verùm urget ulteriùs Contradictor noſter, *& nulli S. Ingenuinum Martyrologio inſcriptum fuiſſe: imò in Romanum non proximè ab obitûs ſui die, ſed ne poſt multa quidem ſæcula, ac poſtremis demum temporibus Precariò quodammodo aliquem in eo locum inveniſſe*, contendit.

Latuit ergò antiquos omnes (pergit) *ejusdem Vitæ Sanctitas, & poſteriori demum ævo emerſit: at quænam monumenta in apricum protulit ætas? quænam acta detecta ſunt? nihil propemodum, ſed meræ tenebræ, mera ſomnia, meræ halucinationes.*

Suſpicatur denique, antiquius cæteris Martyrologium illud Bellinii eſſe, quo uſi ſunt Bellarminus & Baronius in ſua Martyrologii Romani emendatione. *En qua ratione* (ita ratiocinatur) *Ingenuinus novem à ſua ætate ſæculis in Romanum Martyrologium tandem irrepſit.* Suique dicti rationem reddere pluribus allaborat.

Quare cautiùs doctis quibusdam viris Noriſio, & Bollando, procedendum fuiſſe putat, méque ipſum monet, *ne partium ſtudiis me unquam*

unquam abripi ſinam, & ne ex fulgore fumum, imò tenebras eliciam: gloriam propagati Evangelii mendaciis conquirendam non eſſe, ſpartámque aliam majori cum fructu me adornaturum fuiſſe &c.

Contrahenda ſunt iſta melioris Claritatis gratiâ in capita quædam magis præcipua, & indagandum nobis ante omnia, an ſeu Traditiones ſeu probationes noſtras de S. Ingenuino ex proprio quod hodiedum recitatur in Diœceſi noſtra Officio hauſerimus? Aut num ea, quæ in hujus Lectionibus contenta ſunt, etiam in Antiquioribus inveniantur Codicibus? Id ſi aliter ſe habeat, tantusne his error inſit, qui Brixinenſibus, ſeu potius Proprii ejusdem Eccleſiæ Curatori imputari meritò, & acerbiùs poſſit?

Dein, an cultus vetuſtioris Originem Paulo Diacono debeamus, & is talia attulerit Sanctitatis Specimina, ut coli jure potuerit; & qua demum ratione Sanctos ſuos venerari ſit ſolita Brixinenſis Eccleſia: & num ad cultum hunc aliqua ſaltem vitæ acta requirantur?

Quin, ſi ex Authoribus recentioribus minùs curatè ea confecta fuerint, quæ nimirum diu circumferebantur Acta erronea, num hæc anſam præbuerint Curatoribus Romani Martyrologii, huic Ingenuinum noſtrum inſerendi: aut an alii melioris notæ Codices adfuerint, quibus uſi ſunt?

Rurſus, num ſolum Romanum, vel num alia adhuc ſuperſint Martyrologia, quæ Ingenuini Epiſcopi noſtri Nomen exhibent: & ſi ſint, quam temporis notam, ætatemque præſeferant; quonam in loco inventa, & quid forſitan pro S. Antiſtitis cultu ex iis adhuc erui penſitatis rerum circumſtantiis queat?

Perquirendum inſuper, an non fortè cultus alia quædam, quàm quæ in proprio Brixinenſium Officio continentur, nobis ſuperſint documenta, quæ hactenus infeliciter latuerunt, & ſi quæ inveniantur, quid de eorum tempore & argumentis judicandum?

Cúmque Eccleſiam hanc antiquiſſimam Antiſtites nonnulli Sanctitatis Laude inſignes rexerint, an in illorum Actis Inſtrumentisque nihil de eorum cultu ac veneratione erga Sanctum hunc Anteceſſorem reperire ſit?

Ac ſi quis Authorum Veterum mentionem de Ingenuino, tanquam Sancto, afferat, qua authoritate, ac ratione id factum?

Si au-

Si autem Recentiores quidam Viri celeberrimi ex cultûs antiquiſſimi argumento id egiſſent; num ideò incautè proceſſerint, etſi ætatis illius, ac vitæ S. Præſulis rationes Converſioni ac cultui attemperaſſent?

Authorésne alii quidam doctiſſimi circa Actorum ejus ex Proprio partem aliquam, exilium nempe, diffidentes, ratione quadam conciliari poſſint, aut illud inſuper haberi præſtet?

Tandem à Schiſmate receſſiſſe, ac ritè Sancti inſtar colendum conſideratis omnibus ex certis Monumentis ſtatuitur: his Conjecturas noſtras compendio innectere ex temporum ac rerum geſtarum rationibus viſum eſt, ut aliis ad conficienda aliquando pleniora hujus Sancti Patroni noſtri acta planior via ſternatur; ſola enim cultûs antiquiſſimi ac celebris documenta hîc allata fuêre; cætera verò aliis relinquenda ſunt.

* *

CAPUT II.

Traditiones noſtras de S. Ingenuino in Officio Brixinenſium Proprio contineri, tam certò aſſeri poſſe, haud ſuſpicamur.

Officia propria Eccleſiæ Brixinenſis mihi objicit Cl. Adverſarius, quæ Lectione IV. de S. Ingenuino hæc habent: *Ingenuinus primus poſt S. Caſſianum temporibus Gregorii Magni, & Ruperti primi Salisburgenſis Epiſcopi circa annum Domini quingenteſimum nonageſimum Sabionenſem rexit Eccleſiam.* Additque: *hanc Eccleſiam, quæ ex Traditione monumenta ſuperſunt, veterum factorum reliquiæ, eas ex illis officiis nobis exhibere*, & quantùm in his erratum fuerit doctè & ritè animadvertit. Verùm enimverò non ſolis Brixinenſibus hoc peccatum imputandum eſt, ex quo Ingenuinum, Gregorium Magnum, & Rupertum coævos fuiſſe, præſtantes olim viri Velſerus, Baronius, Mezgerus, & ex Boicis Scriptoribus Aventinus, Hundius, Brunnerus, Raderus & Adlzreiterus magno conſenſu tradidere, *Boicarum Rerum Scriptores*, ut eos notat Eckhar-

dus, T. I. L. 18. Rer. Franc. f. 306. *Hiſtoriam Succeſſionemque Ducum ſuorum mirè turbant, pluresque Theodones pro lubitu confingunt, Sanctumque Rupertum ad Theodonem primum, & quidem Childeberti II. Regis Francorum Anno Secundo miſſum fuiſſe tradunt. Sed eos valdè errare Valeſius primùm oſtendere cœpit:* tum breviter ac nervoſe ex optimis monumentis commonſtrat, quòd toto Childeberti Secundi Principatu, qui ab anno 575. usque ad annum 596. excurrit, nullus Dux, cui Theodo nomen, Boiariis præfuerit: & ex Aribone, Arnulpho, Charta Arnonis Donationibus Salisburgenſibus luculenter probat, ſub eo Theodone Salisburgum fuiſſe delatum D. Rupertum, cui filii Diotpertus, Grimoaldus & Hucbertus, qui ſanè ut ex Aribone notiſſimum, & ego in actis S. Valentini pluribus executus ſum, Divo Corbiniano coævi & hinc ad initium ſæculi octavi illuſtres fuêre. Eandem Chronotaxin pro more ſuo diligentiſſimè diſcuſſit & ſtatuit T. 2. Germ. Sacr. à p. 50. Clariſſimus Hanſizius. Idem egit, & Aventinum egregiè confutavit, in Germanici Imperii Hiſtoria T. 4. P. 4. L. 3. à p. 531. Ill. Bünovius: Sic Pagius, Mabillonius, & Meichelbeckius.

Imo miror, quòd poſt Editionem Lectionum antiquarum Henrici Caniſii ullus unquam ſcriptor tantum errare potuerit; cùm Arnolphus ex Comitibus de Cham & Vochburg oriundus, Author gravis Teſte Eckardo, & ſtatim poſt annum milleſimum Celebris, verbis diſertis Edit. Baſn. T. 3. f. 105. pronuntiet: *Temporibus autem, quibus tantæ peſti* (hæreſi) *remedia parabant, hi Duces principabantur, Dioto ſcilicet vir illuſtr. cui filii in regnum non ſucceſſerant. Item alius Theodo vir ſtrenuus & alacer, ſub quo Clariſſimus Chriſti Confeſſor Rupertus cum aliis Dei Servitoribus Juvavium devenit, ibique curſum præſentis vitæ conſummavit. Sub quo S. Corbinianus Friſigam acceſſit. Is ergo Dux filios habuit ſucceſſores in Regno Diotpertum videlicet, atque Grimoaldum, poſt quos Ducatum Genti huic præbuit Hucbertus, quo Duce defuncto Utilo ſub Principe Pipino Gentis hujus Ducatum adeptus eſt.*

Firmiora ſunt iſta citra dubium omne, quæ nunc attulimus, quàm illa, quæ erroneè ſuo inſeruit compilator Brixinenſis Eccleſiæ Proprio, & quæ nulla alia ex ratione attulit, quam quia ampliorem ex Hiſtoricis credidit ſe hauſiſſe notitiam, quam antea in Brixinenſi Proprio invenerat. Hiſtorici nempe recenter impreſſi malo

malo Litterarum fato majori in pretio haberi cœperant, quàm Diplomata Chartæ Pagenſes, & vetuſtiſſimi Libri Liturgici antiquiſſimæ Diœceſis noſtræ.

Cæterum non optimo utique loco eſſemus, ſi Lectiones ſolæ demum atque unicæ Hiſtoriæ Sabionenſis ac Brixinenſis baſes ac fundamenta eſſent. Ego ſanè has fœtum recentem, imò recentiſſimum puto, inventâ primum typographiâ protruſum; nam quotquot in Actis Divi Caſſiani à p. 84. ad p. 106. produxi, & in Bibliotheca noſtra publica Thereſiana ſemper exhiberi poſſint, Codices MSS. Liturgici harum lectionum habent omnino nihil. Neque pluris aliquid afferunt Diplomata, Chartæ Pagenſes, aut monumenta alia; ut adeò vehementer ſuſpicer, olim de hoc Sancto adnotatum fuiſſe pariter nihil, ſicut de SS. Albuino & Conſtantio Epiſcopis factum, de quibus pariter nec jota nec apex reliquus, paucula illa, quæ in hodiernis Lectionibus de S. Albuino leguntur, ex ipſo contextu ſera nimis tempora ſapiunt; adeò enim communia & obvia ſunt, ut ne tempus quidem, quo vixit hic Sanctus Præſul, aut nobile genus curatè definiant: non ipſus equidem hoc probo, quod certiora ex Tabulario ſuo (ſaltem paucula illa circa tempus, parentes, & cultum ſingularem S. Ingenuini paulò curatiùs) non attulerint elapſis ſæculis; & ſæpiuſcule mihi illud S. Paſchaſii Radberti, apud Guietum in Heortologia Ed. Ven. p. 29. occurrit: *quemadmodum vita ſanctorum diligenter, atque accuratè deſcripta laudes eorum dilatat, ita quoque negligentiùs habita gloriam eorum diminuit, Eccleſiæ famam obnubilat, Chriſti Victoriam abſcondit.* Inſertam eſſe proin Proprio Brixinenſi An. 1515. impreſſo, Pauli Diaconi erroneam de S. Ingenuino ſententiam non miror: illo enim tempore nemo adhuc aliud credidit, aut credere potuit, *& niſi aliquot Pelagii I. & II.* (verba ſunt Cl. Cl. FF. Ballerinorum in Diſſ. de Patriarch. Aquil. Origine, Opp. Noriſ. T. IV. ſ. m. 1067.) *ac magni Gregorii Epiſtolæ, niſi Libellus ſupplex Schiſmaticorum ad Mauritium Imp. niſi bujus Reſcriptum ad eoſdem & alia pauca hujusmodi documenta, quæ edita non multo antè nobis licuit inſpicere, nonnullarum rerum geſtarum notitiam ad nos transmiſiſſent, nos quoque in iisdem erroribus inſcii ac inconſiderantes verſaremur.*

Anno enim primùm MDC. Baronius tres Pelagii II. Summi

B 2 Ponti-

Pontificis Epiſtolas ad Schiſmaticos, eorundem Libellum ad Mauritium Imperatorem, Epiſtolamque Mauritii ad Gregorium M. pro his Epiſcopis publici Juris fecerat, quæ omnia illi vir doctiſſimus Nicolaus Faber ſubmiſerat. Et ſæculo nuper elapſo decimo ſeptimo Pelagii primi Epiſtolarum fragmenta viri ſummi Labbeus, Holſtenius, Sirmondus & Balluzius primùm edidère; quæ utique ſingula poſt excuſas dudum Proprii Lectiones in luminis auras protracta fuère.

Cùm igitur ſatis modò, præſertim poſt viri ſummi Bernardi de Rubeis edita Eccleſiæ Aquileienſis monumenta, & Eminentiſſimi Noriſii Diſſertationem Hiſtoricam de Synodo V. illuſtrata ſint hujus ſchiſmatis acta, etiam Proprium Brixinenſe corrigendum eſſe, haudquaquam negamus.

Verùm cum in omnibus Libris Liturgicis Sabionenſibus altiſſimum ſit de Rebus Aquileienſibus ſilentium, longè aliter olim antè impreſſos typis codices ſenſiſſe, Sabionenſem, ſeu poſtea Brixinenſem Eccleſiam, quæ S. Ingenuinum coluit, ante omnes Diaconi Aquileienſis, & Bartholomæi Tridentini labores hiſtoricos vix non evidenter patet.

Præmiſſis enim aliis, quæ huc non pertinent, ſuô locô tantùm hæc in antiquis Codicibus reperis: in Codice nempe perantiquo Aſceterii Wilthinenſis:

Vitæ Celebis, doctrinæ, ac Signorum argumenta,
Quibus mundo claruerunt, Viri Dei, canit Brixinenſis Eccleſia.

Oratio ſic ſe habet:

Deus tuorum gloria Sacerdotum, præſta quæſumus, ut qui SS. Confeſſorum atque Pontificum tuorum Ingenuini & Albuini natalitia colimus, eorum auxilia ſentiamus, per Dominum &c.

In Bibliotheca quoque noſtra publica Thereſiana nihil rurſum in Codice pervetuſto legitur, quod ſingulare videri poſſet. Sed tantum hoc:

In ſanandis & ſanatis
debilibus Sanctitatis.
merita declarantur.
nam morboſi mente pia
ſupplicantes bis pro cura
mirifice ſanantur.

Lectio-

Lectiones dein Hiſtoricæ nullæ prorſus comparent. Neque aliud in Libris ſuis Liturgicis MSS. diligenter omnino Brixinæ excuſſis Vir Cl. Joſ. Reſchius ſe inveniſſe oretenus mihi non ſemel affirmavit, quàm illa, quæ in edita à ſe Brixinæ 1748. Brixinenſium Epiſcoporum ſerie à p. 36. attulit, quæ nihil prorſus ex Paulo Diacono, aut aliis hauſtum continent.

Cùm igitur, ut audivimus, Lectiones Hiſtoricæ Proprii Brixinenſis fide gravium Authorum præcipuè Bavarorum de tempore in tempus niterentur: Acta Aquileienſis Schiſmatis non tantùm diutiſſimè latuiſſent, verùm etiam neque hodie adhuc reperta ſint omnia. Paulus inſuper Diaconus unicus ſupereſſet, Author vix duobus Sæculis à tempore rerum geſtarum remotus: imò ipſius Eccleſiæ Aquilejenſis, vix ante Sæculum ex integro à Schiſmate purgatæ, Diaconus; mirari utique neminem ſubeat, tanti aſſerta hujus hiſtorici fuiſſe habita, ut huic uni omnes tum ſine criſi aſſurgerent, quamvis is ipſe forſitan de converſione Ingenuini & Sociorum inaudierit aliqua, præpoſterè tamen intellecta, ineptè etiam ſuis ſcriptis inſeruerit. Epiſcopi certè plerique, quos à ſchiſmate ſe cohibuiſſe hic Author commemorat, illi ipſi ſunt, quos ad Eccleſiæ unitatem rediiſſe ex Viro Summo Thomaſino *Cap. X.* ad finem audiemus. Facilis emendatio foret, ſi Codex prodiret, qui diceret: *Nomina verò Epiſcoporum, qui ab hoc ſchiſmate redierunt, hæc ſunt &c.*

Ad has proin Lectiones Brixinenſium cùm aliis deficientibus monumentis recurrendum fuiſſet Baronio, Pagio, Bollando, aliisque Viris doctiſſimis, ſi alicubi eapropter ceſpitârint, venia haud dubiè concedenda eſt; nam addita his Lectionibus etiam videntur aliqua, ex Traditionibus, incertùm an ſat firmis, deſumpta.

De Exilio inter alia, unde nata ſit traditio, nullum omnino veſtigium in antiquioribus documentis ſubodoratus ſum. Optandum utique foret, ut progreſſu temporis ea omnia, quæ intra ſchiſmatis Aquileienſis tempora certò confecta fuerant, feliciter detegerentur, qualia ſunt acta integra Synodi à Paulino An. 557. congregatæ, apologia pro defenſione trium capitulorum ab Elia & Sociis ejus Pelagio II P. M. ſubmiſſa. Acta Synodi Schiſmaticæ in Mariano, Libelli duo ad Mauritium Imperatorem Severi & Epiſcoporum Iſtriæ, ac tandem bina hujus principis reſcripta, quæ omnia

in hodiernum diem deſiderantur. Spe enim non omnino vana lactor, ſi non ſingularia de Ingenuino, ſaltem alia circa Regiminis ſui chronotaxin ad minimum prolatum iri, quibus acta hujus S. Præſulis ſaltem quoad tempora, & Anteceſſores ſuos aliquando curatiùs illuſtrari poſſent.

CAPUT III.

Neque Pauli Diaconi errorem cultui S. Ingenuini anſam præbuiſſe.

Erraſſe Paulum Diaconum, aliosque complures in enarrando Eccleſiæ Aquileienſis Schiſmate, hodie manifeſtiſſimum eſt.

Hunc errorem *fontem eſſe tum excellentis de Ingenuini Sanctitate opinionis, tum cultûs ipſi à Brixinenſibus præſtiti, ſuſpicari par eſſe*, credit emunctæ naris Criticus Roboretanus. Juvat ergo majoris gratiâ claritatis totum Pauli Diaconi contextum, cùm adeò longus non ſit, ut tædium afferre poſſit, percipere:

Pauli Diaconi de geſtis Longobardorum, l. 3. c. 27.

De morte Heliæ Patriarchæ, & ſacerdotio Severi.

His diebus defuncto Helia Aquileienſi Patriarcha, poſtquam quindecim annos Sacerdotium geſſerat, Severus huic ſuccedens regendam ſuſcepit Eccleſiam, quem Smaragdus Patricius veniens de Ravenna in Grados per ſemetipſum à Baſilica extrahens Ravennam cum injuria duxit, cum aliis tribus ex Hiſtria Epiſcopis, id eſt Johanne Parentino, & Severo, atque Vindemio, nec non etiam Antonio jam ſene Eccleſiæ defenſore, quibus comminans exilia, atque violentiam inferens, communicare compulit Joanni Ravennati Epiſcopo trium Capitulorum damnatori, qui tempore Papæ Vigilii vel Pelagii à Romanæ Eccleſiæ deſciverat ſocietate. Exempto verò anno à Ravenna ad Grados reverſi ſunt, quibus nec plebs communicare voluit, nec cæteri Epiſcopi eos receperunt. Smaragdus Patricius à Dæmonio non injuſtè correptus Succeſſorem Romanum Patricium accipiens Conſtantinopolim remeavit. Poſt hæc facta eſt Synodus decem Epiſcoporum in Mariano, ubi receperunt Severum Patriarcham Aquileienſem dantem libellum erroris ſui, quia trium capitulorum damnatoribus communicarat Ravennæ. Nomina verò Epiſcoporum, qui ſe ab hoc ſchiſmate cobibuerunt, hæc ſunt: Petrus de Altino clariſſimus, Ingenuinus de Sabione,

ne, *Agnellus Tridentinus*, *Junior Veronenſis*, *Horuntius Vicentinus*, *Ruſticus de Tarviſio*, *Fontejus Feltrinus*, *Agnellus de Acilio*, *Laurentius Lunenſis*. *Cum Patriarcha autem communicaverunt iſti Epiſcopi*, *Severus*, *Parentinus*, *Johannes Patricius*, *Vindemius & Johannes*. Alio dein loco, eodem nempe l. 3. c. 32. cùm nomina Caſtrorum, quæ diruerunt in Tridentino Territorio Franci, recitâſſet, hæc addit: *Hæc omnia caſtra cùm diruta eſſent à Francis*, *cives univerſi ab eis ducti ſunt captivi*. *Pro Ferruge verò caſtro intercedentibus Epiſcopis Ingenuino de Savione*, *& Agnello de Tridento*, *data eſt redemptio pro uniuscujusque Viri capite ſolidi ſexcenti.*

Nihil igitur aliud de Sancto Ingenuino noſtro hic Paulus attulit, niſi quod *ſe ab hoc ſchiſmate cohibuerit*, & quod *pro captivis in Ferruge caſtro interceſſerit*. Ego planè ex his excellentem Sanctitatis opinionem naſci potuiſſe nulla prorſus ratione capio!

Si hæc enim cauſa foret, cur quæſo, non etiam reliquos aris admovit Epiſcopos antiquitas? cur non Agnellum Tridentinum, qui non tantùm cum Ingenuino, ut vult Paulus, ſe cohibuit, à Schiſmate, & pro captivis in caſtro Ferruge interceſſit, ſed etiam pro his liberandis in Galliam profectus eſt? cur nullum Aquileienſem aut Gradenſem Epiſcopum, ex quibus aliqui non levia certè paſſi ſunt?

Fateor equidem, me ex errore p. 64. 65. & 113. Agnellum Sancti titulo condecoraſſe: ſecutus nempe ſum opinionem recentioris cujusdam Scriptoris, qui Philippi Ferrarii & Petri de Natalibus authoritatem, & primi quidem, ut audio, non ex vero citans editis SS. noſtrorum actis impegit. Ego ſolo titulo unica Litterula S. addita peccavi; imo & hic mihi ſuſpectus ante omnem monitionem videbatur. Nam cùm anno 1749. aliqua de Secundo Tridentino pararem, quædam de Agnello hoc, uti & hoc titulo reſcire avebam: & mox reſpondit interrogatis meis litteratiſſimus quidam amicus tum Tridenti degens, memoriam ibidem illius nullam, monumentum nullum, aut in Officio illius Eccleſiæ proprio mentionem occurrere. Potuiſſet ergo monito ſuo peracerbo abſtinere Roboretanus Scriptor: *Sanctum tu quidem auctoritate tua liberaliter ſanè pronuntias* (Agnellum): *at obſtat Tridentina Eccleſia &c. quare non exſpectes*, *ut pro tua hac in nos liberalitate à nobis*, *qui commentitiis falſisque honoribus non delectamur*, *grates tibi reddantur*. *Potiùs*

tiùs diſce vel tuo exemplo, quam facilè ſit, Sanctorum Catalogum perperam augere. Potuiſſet ſanè longè meliori jure in ſua Diœceſi indagare; an ritè ſe omnia circa Sanctos ejusdem Diœceſis Epiſcopos habeant, aut diſcuſſa ſint.

Sicuti igitur Sancti Titulum, ea quæ retulimus paria, aut majora Ingenuino, geſta non promeruère Epiſcopo huic Agnello, ita nec noſtro opinionem excellentis Sanctitatis conciliare poterant.

Quin etiamſi verum fuiſſet, quod Paulus Diaconus attulit; an aliud egiſſet Ingenuinus, quàm quod ſui fuiſſet officii? alias Sancti utique forent omnes omnium Conciliorum Epiſcopi, qui Catholicæ Veritatis defenſionem ſuſceperant, & ſcriptis ſuis ſanam doctrinam propugnârant.

Et cur ſolus inter tot alios hujus ſchiſmatis ſocios Ingenuinus præluceat? Nunquam certò adeò obfuſcata fuerant, ac tam craſſa caligine obruta medii ævi tempora, quin ſatis agnoſcerent, longè alia quàm quæ Paulus attulit, Sanctitatis argumenta requiri. Nam ut ritè monet Antagoniſta noſter: *Sanctitas non in una aut altera bonorum operum ſpecie, ſed virtutibus in gradu heroico aſſiduè exercitis, atque ad obitum usque productis probatur.*

Non dubitandum igitur, illas ipſas tum fuiſſe perſpectiſſimas, cùm ab illo tempore, quo haberi in ſcriptis documenta aſſolent, à Sæculo nempe VIII. usque ad noſtra conſtanter de ejus cultu documenta loquantur.

Præſumi id eo facilius de Eccleſia Sabionenſi poteſt, cùm idoneis documentis doceri queat, etiam S. Albuinum ſtatim à morte cultum fuiſſe, atque ea propter eandem Eccleſiam illo tempore in methodo colendi SS. Præſules ſuos non variâſſe, credibile videtur. Juvat Rem majoris claritatis cauſa breviter perſtringere.

Monendum igitur prævie, conſtare ex Diplomate Henrici Sancti, quod inferiùs totum dabimus, vixiſſe S. Ingenuinum adhuc Idibus Aprilis An. 1004. Obiiſſe equidem Anno 1006. ex Joanne Engl affert Cl. Reſchius, ſed mallem cum illo hoc Angelo duce ad fontem hujus aſſerti pervenire.

In Chartis Pagenſibus Codicis A. A. A. poſt donationes tempore S. Albulni factas circa finem, & ſic proximo ab obitu tempore

pore Charta Pagenſis mihi n. 49. reperitur, in qua ſtatim hic Præſul: *beatæ memoriæ Epiſcopus audit.*

Iterum alia ſub Altwino Epiſcopo, qui Popponi An. 1048. in Summum Pontificem electo ſucceſſit, & hinc vix dimidio ab obitu S. Albuini confecta fuit Sæculo, jam publicè cultum legimus; eam numero 37. ſignatam in hæc verba conſcriptam notavi: *Pro libertate Servæ cujusdam quotannis in feſtivitate Sanctorum Ingenuini & Albuini 5. denarios ſolvendos eſſe.*

Idem ipſum ſequenti numero ſub eodem Altwino Epiſcopo: *Item duæ aliæ Servæ pro libertate ſua ſingulos denarios in Feſtivitate Sanctorum Ingenuini & Albuini.*

Sic rurſum in Codice B. B. B. ſub Hugone Epiſcopo, quem in Diplomatibus Henrici V. ad annos 1111. & 1117. n. 2. & 3. ſimiles donationes *ſuper Altare S. S. Ingenuini & Albuini* invenio.

Pergunt Chartæ eodem tenore ſub B. Hartmanno & Henrico ſæculi ejusdem Epiſcopis. una præcipuè ſub B. Hartmanno p. 124. valde notabilis eſt, & ita ſonat:

Noverit Chriſtianitas, quòd Comes Berchtold de Tyroles, pro remedio animæ ſuæ & Fratris ſui Adalberti Comitis de Tyrolo, qui ſic fieri rogaverat, II. Huobas Carinthiæ in villa Tibnibe ſuper Altare S. Ingenuini & Albuini tradidit atque legavit. Hoc autem factum eſt præſente Duce Welfone ac filio ſuo Welf. qui & teſtes tracti ſunt per aures, & alii complures. Hugo Nobilis & Miniſterialis Eccleſiæ Adalbrecht Judex, Purechart, Otacher, Henrich Ruoprecht, ad Inveſtituram idem Dux cum filio ſuo. Ut adeò tum ritè in cultu, tum etiam conſtanter proceſſerit Diœceſis noſtra.

Sed non conſtat (inferet non nemo) de eorum actionibus Heroicis, geſtis, miraculis &c. Verum id multis aliis quoque Sanctis accidere, novum omnino non eſt. Sic Martyrologio Romano & Actis Bollandianis curatiſſimis multi inſerti ſunt Sancti, de quorum Actis nihil prorſus ſupereſt. Exempla hujus rei dum in PP. Antwerpienſium Tomis quærerem, vel ſola prima & ſecunda Januarii die complura reperi. Sic f. 20. de S. Paracodæ Epiſcopi Viennenſis Geſtis, qui IV. Non. Januarii colitur, nihil omnino conſtare aliud affirmatur. Sic ad I. Jan. fol. 49. de S. Agrippino Auguſtodunenſi Epiſcopo tantùm hæc Martyrologio S. Hieronymi adſcripta ſunt: *Depoſitio Agrippini Epiſcopi.* Et ite-

rum ad Eundem diem de S. Stabile Avernenſi Epiſcopo multa Martyrologia ibidem laudata ſolum nomen aſſerunt. Ad diem 2. Jan. f. 84. Martyrologium Romanum S. Iſidorum Epiſcopum & Confeſſorem in Ægypto celebrat, de quo pariter ſcimus nihil, niſi quòd illum teſte S. Hieronymo, ibidem viderit S. Paula. Et iterum Eodem die ex Martyrologio Romano: *Mediolani Sancti Martiniani Epiſcopi.* Quibus addunt hi Clariſſimi Viri: *Par ſilentium & oblivio Martinianum & Glicerium ſecutos Antiſtites involvit, niſi quod utrumque Acta Conventûs Epheſini, Martinianum etiam ſua Scripta vindicavere, queis Neſtorianam Sectam evertit.*

Videtur inſuper ex primis verbis, quod Mediolanenſi celeberrimæ Metropoli plures Sancti Epiſcopi præfuerint, quorum acta deſiderantur; quid mirum, ſi idem aliis nequaquam tam illuſtribus Eccleſiis acciderit?

Neque miracula noſtrorum Præſulum primus Hundius, Raderus, Bellinius aut recentiores notârunt; vidi enim tres Codices perantiquos Liturgicos, qui eorundem ſaltem in genere, ut loquimur, meminêre. In Hymno de his ſanctis enim, ac membranaceo Eccleſiæ Brixinenſis Volumine, hæc habentur:

Vite Celebis, doctrine, ac Signorum argumenta,
Quibus mundo claruerunt, Viri Dei, canit Brixinenſis Eccleſia.

Et in duobus aliis ex membrana Collegii Neocellenſis, & Bibliothecæ noſtræ Thereſianæ:

In ſanandis & ſanatis
debilibus Sanctitatis
merita declarantur.
nam morboſi mente pura
ſupplicantes his pro cura
mirificè ſanantur.

Similia in Reſchii Codicibus à cit. p. 36. occurrunt, quò Lectorem brevitatis gratia remitto.

Dolendum quidem eſt, iſta ſpeciatim (præſertim circa tempus) patrata prodigia ad nos non perveniſſe. Satis tamen eſſe ſperamus, quod exemplô S. Albuini morem Eccleſiæ Sabionenſis docuerimus, ſuos illam Epiſcopos ſtatim ab ipſorum morte, & dein conſtanter coluiſſe. Imò Charta ſub Antone Electo confecta, aç ſuperiùs c. 7. allata jam ante omnem Pauli narrationem cultum

cultum fuiſſe S. Ingenuinum noſtrum una cum Martyrologio Antwerpienſi vetuſtiſſimo certè commonſtrat.

Tempus enim, quo Warnefridi filius hanc ſuam de Longobardis Hiſtoriam concinnavit à Cl. Viro Ludovico Antonio Muratorio in præf. ad hanc ipſam Hiſtoriam T. I. Script. Ital. p. 397. illud aſſignatur, quô poſt varios caſus tandem in ſacra Caſſini Montis ſolitudine Monachus factus ibi reliquum vitæ curſum piiſſimè conſummavit. In quo Monaſterio Idibus Aprilis circiter Annum Chriſtianæ æræ 799. diem clauſit; circa finem igitur ſæculi octavi hæc ſcriptio confecta fuit. Neque credibile illius apographum ſtatim proximis temporibus à Monte Caſſino, qui non procul Capua in Regno Neapolitano ſitus eſt, Sabionem delatum fuiſſe. Quapropter alia longè ſanctitatis motiva hunc jam ad initium ſæculi octavi cultum perſuaſerint, oportet.

CAPUT IV.

Longè minùs autem verum eſt, irrepſiſſe in Martyrologium Romanum poſt novem primùm Sæcula, & velut precario.

Immitius denique nobiscum agit vir doctiſſimus, dum Germanos ſimpliciores aliquando in iis, quæ ad Religionem ſpectant, aſſerit, ac ſolos Brixinenſes tam faciles fuiſſe contendit, qui Pauli Diaconi merces adeò extollerent. Exemplum tamen, quod p. 107. affert, non in Germania, ſed Ravennæ, & error p. 104. circa Severum ac Eliam, Utini, atque in Foro Julii: circa Horontium denique p. 105. Vicentiæ contigit. Neque quòd ſciam Sanctiſſimus Pontifex noſter in edito nuperrimè Martyrologio expunxit ullum, quem nos veneramur in Germania aut Germanum, aut alium Sanctum; nam Clementem Alexandrinum duntaxat, & Sulpitium illum Severum, non Epiſcopum, ſed D. Martini Diſcipulum omiſit: è diverſo autem Sanctum noſtrum Ingenuinum & Albuinum iterum Idem P. M. huic ſuo Martyrologio intulit, en

C 2 verba:

verba: *Brixinæ Sanctorum Ingenuini & Albuini Epiſcoporum, quorum Vita Miraculis extitit glorioſa.*

Putat inſuper Cl. Adverſarius eadem p. 103.
Cùm Ingenuinus jam inde à IX. Eccleſiæ Sæculo Almus vocatus fuerit ab Anonymo ſcilicet Mabilloniano, mirum non eſſe, ſi Brixinenſis Eccleſia tum, cum in Beatorum numerum relatio privata authoritate Epiſcopi unà cum Populi ſuæ Diœceſis conſenſu peragebatur, neque ſummi Pontificis ſuffragium accedebat, re minùs perpenſa, neque ad Examen revocata, Publicam TANDEM *huic ſuo Præſuli Venerationem cultùmque decreviſſe, altaria excitâſſe, templa demum erexiſſe, mox veris actis alia ex ingenio addita, cultùmque ex falſa Pauli Narratione ortum, falſas alias fictâsque narrationes produxiſſe; atque hinc denique mirum non eſſe, ſi hæc omnia, præſertim verò perantiquus Eccleſiæ Brixinenſis cultus, quem haud temerè invectum credidêre, Martyrologii Romani Curatoribus fucum fecerint, ut Ingenuino tandem locus datus ſit, inſcriptum tamen* (p. 100. pergit) *non fuiſſe proximo ab obitu die, & ne poſt multa quidem ſæcula, & poſtremis demum temporibus. PRECARIO quodam modo aliquem locum inveniſſe: in antiquis Sanctorum faſtis nomen ejus non cerni, nullum veterum Martyrologiorum ejus memoriam recolere, aliàs hæc certè inventurum fuiſſe Bollandum. Tandem elapſis novem omnino ſæculis per Bellinii additiones in Romanum irrepſiſſe* p. 111. & 113. eò certiùs ſibi perſuadet, cùm Baronius non viderit ullum Petro de Natalibus antiquiorem, qui ejus Sanctitatem adſtrueret. Miratur inſuper Adverſarius, cur *Lectorem ad Petrum de Natalibus & Paulum de Foro Julii remiſerit Eminentiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Parens, utpote qui probè calluerit Schiſmatis Hiſtoriam. Quæ autem Romani Authores Martyrologii acta præ oculis habuerint, dum illum Sanctorum faſtis adſcripſere, hunc ipſum Baronium in notis indicare ſolere.*

Verùm duo hîc cautè diſtinguenda ſunt ab invicem: primùm, an certum ſit, quòd eo tempore, quo Martyrologium edidit Baronius, ipſe Schiſmatis Hiſtoriam exactè calluerit: alterum, an quos ipſe in notis ſuis ad Feſtum Divi Ingenuini, ac V. Febr. diem, authores indicat, eosdem etiam cæteri Martyrologii Correctores ita reſpexerint, ut eorum dictis permoti eundem S. Ingenuinum Martyrologio inſeruerint?

Ad primum, certum eſſe non puto, quòd tunc Hiſtoriam Schiſma-

Schiſmatis, ſaltem integram, atque hinc exactè omnino calluerit Eminentiſſimus Vir, dum Martyrologium Romanum edidit, eò quòd ex Damaſi Lindani Præfatione Romana (ipſam enim hujus Martyrologii ibidem editionem non vidi) Moguntinæ Editioni præfixa conſtet, Martyrologium Romæ anno 1585. in lucem prodiiſſe.

E diverſo autem notiſſimum eſt, quòd notabilem Schiſmatis Hiſtrienſis Hiſtoriæ partem primùm anno 1600. ad finem Tomi IX. in addendis adjecerit, ubi folio 883. Edit. Rom. ingenuè fatetur, quòd tres Pelagii Summi Pontificis ad Schiſmaticos Epiſtolas, item horum Epiſcoporum libellum ſupplicem ad Mauritium Imperatorem, & hujus rurſum Epiſtolam pro his ad Sanctum Gregorium M. à Nicolao Fabro ex Bibliotheca Pithæi poſt editum jam octavum Tomum Annalium ſuorum acceperit.

Ad alterum verò, tam eximia ac certa Sanctitatis documenta non videntur attuliſſe authores illi à Baronio ad diem V. Februarii allati, ut illis Romani Martyrologii Curatores S. Ingenuinum his Faſtis inſcribere perſuaderi potuiſſent. Codices potius varios, & antiquiſſimos, uti & Cultum per tot ſæcula ipſi exhibitum cauſam fuiſſe, mallem adſtruere; nam plures tum ad manum fuiſſe mox patebit.

Nos certè dudum ante Bellinium his ſacris Romæ Faſtis inſertum credimus, quod & Codices à Baronio viſi confirmant, dum aliquos habere *Genuinum*, alios *Ingenuinum* adnotat. *Scimus*, ait ſummus Paſtor noſter Benedictus XIV. *in eo* (Martyrologio nempe Romano juſſu Gregorii XIII. emendato) *reſtituendo piorum ac Eruditorum Virorum ſudâſſe ingenia*, *ſummâque adhibita diligentia antiquorum multiplicium Exemplarium collatione*, *qui irrepſiſſe errores ac menda*, *eſſe emaculata ac purgata.* Nihil certè ex Bellinio, nihil ex aliis deſumptum fuiſſe authoribus, idem Sanctiſſimus Noſter p. XXXV. fidem facit. Dum Correctores Romanos *ea tantum in Martyrologium tranſtuliſſe Sanctorum Nomina*, affirmat, *quæ ex veteribus probatisque authoribus petebantur.*

Novit inſuper Controverſias Sanctiſſimus Dominus, ac prudentiſſimus Pontifex noſter, novit, quòd in ſuis ad Martyrologium notis doctiſſimus alias Holſtenius dixerit, expungendum eſſe ex hoc S. Ingenuinum, eò quòd Schiſmaticus fuerit: novit hæc

ex Baronio, & omnium recentiſſimè ex Noriſio, ac limatiſſimo Rubeo: *minimè nos fugiunt*, inquit, *multæ graves controverſiæ, quæ circa Romanum Martyrologium agitantur, ab aliis quidem, quos ſcientia inflat, inexplebili quadam dubitandi prurigine, ab aliis verò, qui ad ſobrietatem ſapiunt, eo conſilio, ut quæ ſubobſcura ſunt, vel incerta, nova quadam veritatis luce donentur.* His tamen omnibus ſuperhabitis, non expunxit cum Clemente Alexandrino ac Sulpitio Severo Ingenuinum noſtrum; tot ſæculis cultum Summus Pontifex noſter.

Neque expungendum dixêre Viri ſummi & Eminentiſſimi, Baronius & Noriſius, Pagius & Bollandus, etſi Schiſmatis Aquileienſis certiſſimi ac ſcientiſſimi. Viſum nempe illis Teſtimonium Pauli minimè ſufficiens pro Sanctitate adſtruenda, etſi etenim vera quoque eſſet, quam affert, Fidei Catholicæ defenſio, uti vera eſt Captivorum Liberatio, nondum tamen Sanctum, ſed virum probum duntaxat, & munere ſuo fungentem dixiſſet. Alia longè argumenta adfuerint, & adſint oportet: imò Codices Martyrologiorum antiquiſſimi, concordes, multiplices, & fortè etiam Pauli ætatem ſupergreſſi. Et certè in hac ego ſententia eò magis confirmor, quòd S. Ingenuinum noſtrum & quidem ſolum, atque hinc probabiliùs antequam S. Albuini corpus cum ſuo corpore tumulo, atque uterque poſthac cultu jungeretur, jam cultum ex Martyrologio Auguſtano & Liræ in Belgica Secunda, ſeu veteri Francia, ex pervetuſto Calendario diſcam; Nam Clariſſimi Viri Martene & Durand T. 3. f. *1606.* monumentorum ſuorum inter antiquiſſima Martyrologia, ut loquuntur, antiquum Calendarium afferunt, ex MSS. Lirenſis Monaſterii ſexcentorum & ultra annorum, cui ſuo loco hæc inſunt verba:

(Nonis Februarii) S. Agathæ Virginis, Ingenuini Epiſcopi.

Et ipſius Bollandi Continuatores laudatiſſimi in Collectione Martyrologiorum ſuorum, VII. Junii Auguſtanum S. Hieronymo tributum ſexcentorum circiter annorum afferunt, iterum hoc tenore:

Nonis Febr. Sicilia. Paſſio Agathæ V. Revocati Saturni, Felicis, Saturnini, Vienna. Aviti Conf. Andreæ Apoſtoli de Ordinatione. S. Genuini Epiſcopi Conf. in Biſebona. Adnotârunt ad ultima verba iidem Cl. Cl. Viri: *Intellige Ingenuinum Epiſcopum Sabionenſem*, ſeu ut verba

verba retineamus *S. Genuini Conf. in Sebona*, ut Diploma Conradi II. hanc ſedem compellat, ſicuti & *Seponenſem* Imperatoris Arnolfi, ac *vallem Sebanam* Anonymus toties allatus.

Tandem non omnino repellendum cenſeo aliud adhuc in Monumentis Cl. Cl. Virorum Martene & Durand (quorum in hunc finem elapſo Menſe Julio anni ſuperioris Tomos XIV. in antiquiſſimo Collegio Wilthinenſi ſedulò excuſſi) teſtimonium: licèt hoc circa diem omnino, & paululum etiam circa nomen differat. In Fragmento quippe pervetuſti Martyrologii Eccleſiæ Turonenſis ex ejusdem Eccleſiæ Manuſcripto (annorum ad minimum octingentorum, ut hi Patres in admonitione huic præfixa f. 1547. docent) hoc excerpſi f. 1587.

September

Nonis: Taurini, Quinti, Ingenui Epiſcopi.

Quantùm enim hactenus ſciò, nullus alius hujus nominis inter Sanctos ſeu Epiſcopos, ſeu alios Ingenuinus, Ingenuus, vel Genuinus, quàm noſter Sabionenſis, occurrit.

Et rurſum in Tomo VI. Vet. Script. & Monument. f. 675. ex Martyrologio Stabulenſi hæc excerpſi: *September. Nonas. Vienna S. Ferrioli Epiſcopi, Ferrutii, Quintini, Ingenui, Taurini, Acenci, Erculani, S. Victorini Martyris & Epiſcopi.*

Codicem hunc pariter 600. circiter annorum eſſe, in obſervatione prævia hi Collectores eximii nos admonent.

Elapſo quoque menſe Septembri ejusdem anni Halæ ad Oenum apud Illuſtrem & Litteratiſſimum quendam Virum Lucæ Acherii Viri celeberrimi Collectiones luſtraveram, in cujus pariter Martyrologiis mentio de S. Ingenuino recurrit; Tomo nimirum II. Editionis Pariſienſis anni 1723. ad diem V. Septembris p. 17. hæc leguntur: *Non. Sept. In Portu Romano. Natalis S. Taurini, Herois, Heraliani, Ariſtoſi. Et Paſſio Sanctorum Thotabelis, & Sororis ejus nomine Bebeæ. In Capua Campaniæ, Natalis Sanctorum Quinti, Arconti, Donati, Magni, Januarii. In Alexandria Natalis S. Memfidi, Sturninæ.* DEPOSITIO B. INGENUI *cum Sociis ſuis, quorum nomina Deus ſcit. In Ægypto Natalis S. Taurini, Nemoſati, Saturnini, Arapolloni. In Gallia Civitate Veſontione Natalis SS. Ferreoli, & Ferrucionis cum ſociis eorum.*

De

De ætate Codicis hoc in Proœmio notat Acherius: Vetuſtiſſimum hoc Martyrologium S. Hieronymo attributum ſe reperiſſe in Codice Monaſterii Corbejenſis, ſcripto abhinc circiter annos ſexcentos.

Et rurſum p. 34.

Nonis Septembris.

Taurini, Quinti, INGENUI, *Herculiani, Arconti, Veſontione Ferreoli, Ferrutionis, & Octaba Sancti Joannis Baptiſtæ.*

Addit de hoc Martyrologio celebris editor, eſſe nimirum Gellonenſe, ſeu Monaſterii S. Guilielmi de Deſerto O. B. Diœceſis Lutevenſis pervetuſtum ineunte Sæculo IX. anno circiter 804. conſcriptum.

Non auſus equidem tum fuiſſem, huic Disquiſitioni meæ inſerere ea, quæ nunc attuli, Martyrologii Turonenſis, Stabulenſis, Corbejenſis & Gelonenſis Teſtimonia, cùm nec nomen omnino, nec dies concordaret cum Romano, aut cum Brixinenſibus Actis; verùm poſt aliquot menſes (interruptus enim ſæpiùs hic labor fuit tum officii ratione, tum etiam quòd cum elapſo autumno mihi Tabularii Brixinenſis Copia facta fuerit, quæque nactus ibi ſum documenta ſanè eximia, primùm poſtea inſeri huic diſquiſitioni debuerint) humaniſſimæ mihi Litteræ à Pl. R. ac Clariſſimo P. Joanne Stiltingo S. J. primo ex celeberrimis Bollandi Continuatoribus Socio Antwerpiæ XX. Martii MDCCLI. Scriptæ redduntur.

In his idem Vir Præſtantiſſimus me opportunè admonuit in Tomo II. Septembris aliqua de S. Ingenuino ſe obſervâſſe. Exultans ego hoc nuntio eundem Tomum ſine mora conſulo, & ad diem V. Sept. f. 486. inter Præmiſſos, & in alios dies rejectos hæc lego:

„ Ingenuinus Epiſcopus Sabionenſis hodie annuntiatur à Caſtellano, eundemque videri, qui in variis Faſtis antiquioribus „ etiam legitur ſub nomine *Ingenui*, aut *Ingenuini*, oſtendam ad „ hunc diem in *SS. Nympho* & *Saturnino*. Verùm de Sancto illo „ apud nos jam actum eſt cum Martyrologio Romano ad diem „ *V. Febr.*"

Folio

Folio dein 527. ita pergit:

De S. Nimſido vel Nympho & Saturnino Martyribus.

Alexandriæ in Ægypto.

Ex Martyrologiis.

„ Apographa Hieronymiana varios hodie annuntiant Marty„res Alexandrinos, ſed mira varietate, & nominibus multùm mu„tatis. Textus apud Florentinium ſic habet: *In Alexandria Na„talis Sanctorum Nemſidi, Saturnini, & Depoſitio beati Ingenui Epiſco„pi cum Sociis ſuis.* Corbejenſe hæc profert: *In Alexandria, Na„talis Sanctorum Memſidi, Sturninæ. Depoſitio beati Ingenui cum Sociis „ſuis, quorum nomina Deus ſcit.* Vetuſtiſſimum Antverpienſe vi„detur eandem Martyrum claſſem bis recenſere cum aliqua ta„men mutatione. Primò ita habet: *In Alexandria Euteci, Maxi„mi, Nimpi, Saturnini.* Suſpicor duos priores huc perperam „translatos à die præcedenti, ubi in numero Martyrum Ancyra„norum ſunt *Euſtichus* & *Maximus*, aut eosdem eſſe cum Eutiche„te & Marone, quos ad hunc diem tranſtulit Notkerus: poſte„riores vero duos exiſtimo non alios eſſe ab iis, quos deinde „cum Ingenuo ſic memorat idem Apographum: *Alexandriæ Civi„tate Nimſidæ, Saturninæ. Ingenui Epiſcopi.* In Contractioribus A„pographis nullus ex his recenſetur Alexandriæ; ſed Ingenuus in „variis commemoratur ſine loco; & re vera Ingenuus non ita „etiam in textibus præcedentibus cum duobus aliis jungitur, ut „neceſſe ſit dicere, eum ad eorum numerum pertinere. Raba„nus, qui ſolus ex Martyrologis ſui temporis Martyres hos A„lexandrinos adoptavit, (& cui interpolata quædam Bedæ Exem„plaria conſonant) dubitationem de Ingenuo non clarè tollit, ſic „eos annuntians: *Et in Alexandria, Nymphi & Saturnini, & De„poſitio B. Ingenui Epiſcopi.*

„ 2. Verumtamen cum Ingenuum potiùs annuntiet ut Con„feſſorem quàm ut Martyrem, ut vox *depoſitio* inſinuat, Rabanus „potius cenſendus eſt Ingenuum ab aliis ſeparare, quàm cum iis„dem conjungere. Idem obſervari poteſt in duobus Apographis „ante datis, in quibus item occurrit vox *depoſitio*, licèt aliàs in „illis videretur memorari ut Martyr, quia additur, *cum Sociis.* „Grevenus duos tantùm ſine *Ingenuo* memorat hoc modo: *In A„lexandria, Nymphii & Saturnini.* Et revera hi duo tantùm A-

„lexandriæ attribuendi videntur, quamvis forſan habuerint non „paucos Socios Anonymos, qui in duobus Apographis primò „laudatis perperam jungitur Ingenuo, quantùm ſuſpicor ob vo„cem *depoſitio*, & quia Ingenuus aliò ſpectare videtur, ut nunc „oſtendam. Caſtellanus in Martyrologio univerſali ad hunc diem „annuntiat *S. Ingenuinum* vel *Genuinum* Sabionenſem Epiſcopum, „qui in Martyrologio Romano unà cum S. Albuino Brixinenſi E„piſcopo V. Februarii, ubi etiam de utroque apud nos actum „eſt. Idem Auctor in Annotatis ad Martyrologium Romanum „gallicè verſum die V. Februarii indubitanter aſſerit, *S. Ingenui„num* obiiſſe V. Septembris, atque ex eo liquet, ipſum non du„bitâſſe, quin ſit ille *Ingenuinus*, qui hodie in variis Martyrolo„giis annuntiatur ſub nomine *Ingenui*.

„3. Porrò hæc opinio mihi probabilis admodum & veriſimi„lis apparet, ideóque rationes à Caſtellano prætermiſſas allega„bo. Primò *Ingenuus* in variis Apographis Hieronymianis jam „datis, aliisque ſimillimis Martyrologiis interpolatis memoratur „eo modo, ut Confeſſoribus potiùs, quàm Martyribus videatur „annumerandus; indéque probabiliter infertur, non eſſe è claſſe „Martyrum Alexandrinorum. Secundò in Hieronymianis con„tractioribus apud nos Tomo VII. Junii annuntiatur ſine Alexan„drinis illis ſine loco, videlicet in Auguſtano ſub nomine *Inge„nuini*, in Labbeano, *Ingenui*. In Turonenſi autem apud Marte„nium Tom. 3. Theſauri Anecdotorum ponitur, *Ingenui Epiſcopi*. „Mitto alia Martyrologia, in quibus occurrit nuda vox *Ingenui*. „Jam verò tanto majorem hæc ſuſpicionem ingerunt de Inge„nuino Sabionenſi, quòd hujus nomen aliis diebus non reperia„tur in Faſtis antiquioribus, licèt conſtet de antiquo ejus cul„tu. Tertiò demum obſtare nequit, quòd modò colatur die V. „Februarii, quódque aliqui ea de cauſa dixerint, defunctum eſſe „eo die: nam cùm ſimul colatur cum S. Albuino, hujus dies „emortualis videtur electus ad utrumque colendum. Itaque o„pinionem iſtam Caſtellani non quidem omnino certam, at ſatis „probabilem eſſe, prorſus mihi perſuadeo: atque idcirco ſolos „Nimfidum vel Nymphum. & Saturninum in titulo recenſui, „licèt hi fortaſſe habuerint plures Socios Anonymos.“

Hæc

Hæc equidem Martyrologia paululum duntaxat in nomine, multùm verò in die inter ſe differunt: facilè tamen conciliari poſſunt. Quoad nomen luculenter ſe ipſa explicant; *Ingenuum* enim nulla alia Martyris, Confeſſoris aut Epiſcopi mentione addita, ſolum Gelonenſe & Stabulenſe affert. Quem igitur deſignent hæc duo Martyrologia, cætera omnia, & quidem antiquiſſima, Antwerpienſe nempe vetuſtiſſimum, Rabani Mauri, ac Turonenſe extra dubium collocant: dum Ingenuo, Ingenuino & Genuino Epiſcopi dignitatem addunt, qui certò is ipſe eſt, quem Libellus Schiſmaticorum, Paulus Diaconus, Bartholomæus Tridentinus, Petrus Calo, Diplomata & Chartæ Pagenſes omnis ætatis & memoriæ Sabionenſia & Brixinenſia *Ingenuinum:* Martyrologii Romani exemplaria teſte Baronio, ac recentiſſimè ipſo Summo Pontifice Benedicto XIV. *Genuinum:* Diploma Henrici III. Imperatoris *Genuwinum*, & nos Germani omnes *Jenewein* dicimus.

Sola nunc igitur circa diem difficultas remanet. Sed & hoc facili negotio tollitur; excuſſis enim XLI. Tomis Clariſſimorum Bollandi Continuatorum, eorundémque Indicibus Sanctorum perſonarúmque omnibus & ſingulis nullus Sanctus Ingenuinus, vel Ingenuus, aut Genuinus Epiſcopus inveniri tam facilè poterit: quod & ipſum pariter monuiſſe præſtantes hos Viros primùm audivimus; ut adeò de alio quodam Sancto Ingenuino, Genuino, aut Ingenuo Epiſcopo aliquod loqui Martyrologium nullo modo intelligi queat.

Atque hinc cum Clariſſimis hiſce Patribus planè ſtatuendum; præcipuè cùm bina diſertiſſimis verbis de Depoſitione loquantur, S. Ingenuinum noſtrum haudquaquam Nonis Februarii ſed Septembris obiiſſe. Quòd autem ejus Feſtum V. Februarii celebretur, id propter obitum S. Albuini, qui in illum diem incidit, tum cùm & tumulo & cultu juncti fuêre, factum fuiſſe credibiliſſimum cenſemus.

CAPUT V.

Cùm præcipuè in Francica ſatìs maturè illatus ſit: ejus rei cauſæ indagantur.

Cùm igitur ex tam multiplicibus & plerisque antiquiſſimis etiam, Martyrologiis inſigne prorſus argumentum vetuſtiſſimi cultus in Francia quoque erui poſſit, operæ enimverò pretium me facturum credidi, horum codicum ætatem, locum, tempus, & ſi poſſibile ſit, etiam rationem, cur ibi colatur, paulò altiùs inquirere.

Et imprimis quidem circa ætatem horum Martyrologiorum vetuſtiſſimum hi Viri Clariſſimi illud Antverpienſe vocant, cujus notam chronicam Vir præſtans Sollerius ad novam Martyrologii Uſuardini editionem f. XIII. affert, dum ſcriptum eſſe ait ſub initium Sæculi octavi.

Idem folio ſequenti pergit: Addunt laudati Majores præfatum codicem in Gallia auctum. Sed idem de omnibus planè admittendum eſt.

De Labbeano rurſum idem Sollerius in præf. ad Martyrologia Hieronymiana Tom. VII. Jun. f. 352. eapropter ita compellatum fuiſſe teſtatur, quia manu Bollandi adſcriptum: *miſſum à P. Philippo Labbe.* Incertum cætera eſſe, cujus loci, vel Eccleſiæ, vel Cœnobii fuerit. Mihi verò ſufficit, è Gallia allatum fuiſſe. Folio ſequenti 353. hoc addit: *de reliquo in toto codice nihil reperitur, ex quo probibeamur aſſerere, Gellonenſi ætate ſupparem eſſe.*

De hoc Gellonenſi verò f. 350. aſſerit, quòd Lucas Acherius credat, anno circiter 804. ſcriptum eſſe, (quod & ipſum ex Acherio paulò ante percepimus) ac cum Hieronymiano collatum ejusdem eſſe generis; & quamquàm mox varia circa hujus ætatem moveat dubia, concludit tamen f. 351. in hæc verba idem laudatus Sollerius: *mibi ſatis antiquum, quidquid Hieronymianum eſt, aut Hieronymianorum Stylum ſapit, qui in boc, & noſtris exemplaribus ſe prodit manifeſtiſſimè.* Rem igitur in medio relinquens, nullam

nullam aliam chronotaxin affert. Dum igitur Codicem Labbeanum Gellonenſi ætate ſupparem eſſe adſtruit, huic initium Sæculi noni tribuere, quale Acherius Gellonenſi affixit, cenſendus eſt; aliàs enim dici non poſſet, Gellonenſi ætate ſupparem eſſe; nam Sollerius ipſe huic Gellonenſi nullum certum Scriptionis tempus aſſignat.

Hunc excipit Rabani Mauri Martyrologium, quod idem Uſuardi Editor in citata Præf. fol. XXIV. non anno 830. ſed anno 842. Fuldæ ſcriptum contendit.

Turonenſe proin, cùm, ut audivimus antè annos ad minimum octingentos exaratum fuerit, huic Rabani coævum eſſe, nemo contentioſiùs trahet in dubium.

Bini demum Florentinii præcipui Codices, quibus præter alios uſus eſt (ut animadvertit in ſæpiùs allata præf. ad Uſuardum idem Commentator) *Lucæ, aut in vicinia reperti vel ex Gallia eò allati erant, vel ex aliquo apographo Fontenellenſis* Cœnobii deſcripti erant.

Cùm autem Florentinius ipſe ad manum mihi non ſit, atque is aliis quoque, ut dixi, uſus ſit Codicibus, & ita ex quo S. Ingenuini noſtri mentionem excerpſerit, mihi non conſtet, de ætate quidquam afferre non poſſum.

Cætera omnia, nempe Lirenſe, Stabulenſe, Corbejenſe & Auguſtanum ante plùs minùs annos conſcripta fuiſſe, ſuis capite priori locis audivimus. Præſtat jam, poſtquam de ætate certiores redditi ſumus, etiam loca ipſa, ubi vel hodie ſunt, vel unde allati fuêre, breviter colligere. Antverpienſe vetuſtiſſimum Epternaco allatum eſt, qui locus in agro Luxenburgico Auſtraſiæ olim Regno ſitus eſt: *addunt laudati majores noſtri* (inquit Sollerius l. c. f. XIV.) *hunc Codicem in Gallia auctum.*

De Labbeani Laterculi loco nihil certum, ſatis, niſi hoc, ex Gallia miſſum fuiſſe. Gellonenſi patria monaſterium eſt in Valle Gellonenſi Territorii Lugdunenſis exſtructum.

Rabanus Maurus Vir celeberrimus ſacrum hoc Calendarium ſuum Fuldæ in celebri Franciæ Orientalis urbe exaravit Turonenſe, quò pertineat, nemo me monitore indiget; Turonum nobiliſſima Metropolis eſt Galliæ Lugdunenſis, SS. Viris, Conciliis, ſacris Faſtis, celebratiſſima.

Digitized by Google

Florentinii Codices præcipui vel aliquo Cœnobii Fontallenenſis, quod in Normannia eſt, deſcripti ſunt apographo, vel certè ex Gallia (unde unde demum) ut cæteri, allati ſunt.

Cœnobium Lirenſe in Francia iterum Belgica, Stabulenſe in Luxenburgenſi Confinio, Corbejenſe ex Abbatia Picardiæ celeberrima, ſua ſuppeditârunt Martyrologia.

Ex his porrò (ita compellare mihi fas ſit) ſacris Dyptichis celeberrimus utique in omni Francia cultus Divi Ingenuini noſtri ad oculum patet, imò non celeberrimus duntaxat, ſed & Antiquiſſimus; vetuſtiſſimum enim horum, quæ recenſuimus Martyrologiorum, Antverpienſe ſeu Epternacenſe ad initium Sæculi octavi, elapſo nempe ad ſummum unico ſæculo à morte Divi Ingenuini noſtri, & certè ante Paulum Diaconum, imò antequam ipſum Schiſma ex integro circa finem ſæculi VII. ſub Sergio PP. extinctum fuerat, conſcriptus eſt. Labbeano rurſum & Gellonenſi Codici annus circiter 804. præfigitur, quo tempore in his præcipuè, ubi vel inventi, vel unde tranſlati ſunt Codices plerisque nempe Ordinis Divi Benedicti Aſceteriis longè magis Divi Gregorii opera & Epiſtolæ, quàm conſcripta ante quadriennium circiter Pauli Diaconi Longobardorum hiſtoria nota fuiſſe, (cùm in deſcribendis Codicibus occupatiſſimi fuerint illorum temporum Monachi) meritò autumari poteſt. Neque plurium quàm triginta annorum ſpatio Codices Rabani Mauri & Turonenſis à prioribus removentur, ut adeò longè ante ſacri Corporis Sabionâ Tranſlationem (ne quid de Brixinenſi, quæ illum S. Albuino junxit, dicam) jam in Francia cultus S. Pontificis noſtri oſtendi poſſit.

Hic porrò cultus minimè exhibitus illi fuit à Schiſmaticis; nullus enim Franciæ Epiſcopus ſubſcripſit actis ſchiſmaticis, præter ſolum Ingenuinum, ſed univerſim à Catholicis, & illo quidem tempore, quo nondum confuſa per erroneam Pauli Warnefridi ſcriptionem fuerat Aquileienſis Schiſmatis Hiſtoria. Longè nimirum alia nota tum fuerint, oportet, in Francia ſingularis Sanctitatis monumenta de Divo Ingenuino noſtro, ob quæ inſeri tot Martyrologiis meruit; cùm præcipuè non ignotum fuiſſe Francicis Præſulibus credibile ſit, inter primos in Schiſmate fuiſſe Collegam ſuum, S. Ingenuinum noſtrum.

Erunt

Digitized by Google

Erunt igitur haud dubiè nonnulli, qui reſcire à me volent, quænam ratio eſſe poſſit, cur toties in Francicis Martyrologiis compareat Ingenuinus noſter? Difficilis ſanè hæc quæſtio eſt, nec quantùm ego quidem ſcio, à quoquam mota minùs deciſa. Licebit igitur in re ancipiti etiam nobis ſeu conjecturas, ſeu probationes noſtras, ſalva cujusvis mente, paucis aperire. Prætermiſſa igitur & necdum in ſufficienti lumine poſita quæſtione illa, qua ratione Bajoaria in Francorum poteſtatem venerit, indubium eſt, quòd Francorum Reges Genti Duces permiſerint etiam eligendos ex Stirpe Agilolfingica, auctoritate tamen ac Decreto ſuo comprobandos, quamdiu nempe Regibus fideles forent, atſi Rebelles eſſent (ùt Leges loquuntur) etiam depoſuerint: nec ſemper filios ſuccedere Patri permiſerint: ſic cum Garibaldo I. actum, quem depoſuit Childebertus, ac Thaſſilonem impoſuit *neglecta ratione filiorum*, ut notant cum Valeſio Hiſtorici reliqui: de Filiis Theodonis II. idem ex Arnolfo de Mirac. S. Emm. conſtat, *in Regnum non ſucceſſiſſe:* ex actis porrò Caroli Magni novimus, quid cum Thaſſilone II. & ejus Filio factum ſit. De tempore, quo in poteſtatem venerint, Valeſius ad annum 447. Tomo 2. Rer. Françic. hæc notat: *Bajoarii quos Jordanes Bajobaros appellat, qui ut ait Paulus Diaconus Noricorum Provinciam habitant, ſub imperio Francorum paulò poſt mortem Clodovæi eſſe cœperunt.* Leges quoque huic Genti non Duces Bajuvariorum, ſed Reges Francorum & primus quidem Theodoricus Francis, Alemannis, & Bajoariis, gentibus nempe ſibi ſubditis, unà impoſuit, quod Pagius Tomo II. ad annum 637. docet. Uti & Valeſius l. primum cit. *Theodoricus eis Leges in uſu priùs ac more poſitas Litteris mandari, ac corrigi juſſit: Childebertus Sigeberti Frater retractavit, Clotharius minor abſolvit, Dagobertus auctas & emendatas, quales habemus promulgavit.* Moderatus eſt autem hic Legiſlator Franciæ Provincias Theodoricus ab obitu Clodovæi Patris 5. Kal. Decembris anni DXI. ad annum DXXXIV. diem verò, quo obiit, non addidit, qui hæc in Annalibus ſuis Eccleſ. Franc. f. 289. & 416. conſignavit Cointius. *In has leges, quas aſpernari Bajoarii ob ignaviam Regum Francorum cœperant, Carolus Martellus Grimoaldum adegit,* (ut ait Hanſizius Tomo I. f. 114.) qui & Hugobertum ſimilia tentantem debellavit. Sic & Utilo, *dum Rex poſito Ducis nomine appellari voluit*, ut habet

T. I.

T. I. f. 41. Meichelbekius, *à Carolomanno & Pipino fugatus ad mitiora conſilia & pacem cum Francis reverſus Regis titulum abjecit.* Hinc verba Pipini ad Utilonem hæc refert Tomo IV. ad annum 744. ex Annaliſta Metenſi Pagius: *Nunc verò certus eſto, Bajoariam, Bajoariòsque ad Francorum imperium pertinere.* Et hæc in Politicis ſufficiant.

In ſacris pariter credere pronum eſt, has circa gentes ſimili tenore Reges proceſſiſſe. Quoad Franciam ipſam teſtis eſt luculentus illorum temporum Scriptor S. Gregorius Turonenſis: juvat majoris claritatis gratia exempla aliqua ex eodem adducere.

Libro III. c. 17. *Omatius*, verba ſunt S. Patris (apud Turonos) *juſſu Clodomeri Regis ordinatus eſt.* Ac deinde: *quo defuncto Theodorus & Proculus Epiſcopi - - - - ordinante Chrotilde Regina tribus annis Turonicam rexerunt Eccleſiam.* L. VIII. c. 22. *Laban Heloſenſis Epiſcopus hoc anno obiit, cui Deſiderius ex Laico ſucceſſit, cùm jurejurando Rex pollicitus fuerit, ſe nunquam ex Laicis Epiſcopum ordinaturum, ſed quid pectora humana non cogit auri ſacra fames?* Et mox: *Rex data præceptione juſſit Gundegiſilum Sanctonicum Epiſcopum ordinari.* Et denique eodem Libro c. 39. *In ſedem* (Viennenſem) *Virus Presbyter Rege eligente ſubſtituitur.*

Quin ſi à Rege electus non fuit, ſed à Clero & Plebe, approbari ſaltem ab eodem electionem neceſſum fuit, ut iterum tam Turonenſis Præſul, quàm Concilium Aurelianenſe de anno 549. confirmat. Prior L. V. c. 5. hæc teſtatur: *Clerici Lingonicæ Eccleſiæ Mondericum expetunt, quid Rege indultus.* Alterum apud Eckardum T. I. Rerum Francicarum L. IX. f. 129. Canone X. hoc ſtatuit: *Ut nulli Epiſcopatum præmiis aut comparatione liceat adipiſci, ſed cum voluntate Regis juxta electionem Cleri & Plebis, ſicut in antiquis Canonibus tenetur ſcriptum, à Metropolitano, vel quem in vicem ſuam præmiſerit, cum Provincialibus Pontifex conſecretur.*

Neque aliter apud Bajorios rem peractam fuiſſe Leges eorundem à Francis Regibus, ut dictum, ipſis latæ nos edocent. Titulo enim ſtatim primo c. XI. hæc lego: *Si quis Epiſcopum, quem conſtituit Rex vel Populus elegit ſibi Pontificem, occiderit, ſolvat eum Regi aut Plebi aut Parentibus ſecundum hoc edictum &c.*

Exem-

Exemplum quoque ſubmiſſi ad Bajoarios à Rege Francorum Epiſcopi Pagius ſubminiſtrat, qui in Critica ſua ad annum 746. hæc narrat: *S. Virgilius biennio apud Pippinum fuit, cumque Salzburgenſis Eccleſia proprio careret Epiſcopo, Pippinus, cui Bavaria, & tota Norica Provincia ſubjecta erant, transmiſit Virgilium ad Odilonem Bavariæ Ducem, illique Epiſcopatum Salisburgenſem contulit.*

Si igitur Epiſcopos in Bavaria ſeu Norico Reges Francorum vel elegerunt, vel ſaltem confirmârunt, neceſſarium omninò eſt, omnibus Bajoariæ Eccleſias incubuiſſe, ut mortem cujuscunque Antiſtitis ſui Francorum Regi nuntiarent, ut vel alium illis ſubmitteret, aut indulgeret Epiſcopum; vel ſaltem voluntatem ſuam illi adderet, quem illius Eccleſiæ Clerus Populusque elegiſſet.

Neque de Epiſcopis duntaxat, ſed & de Religione ipſa non tantùm in Francia, ſed & Bajoaria ſua ſolliciti erant hi Principes; refert enim ad annum 618. f. 185. in Franc. Orient. Eckardus, quòd Clotharius II. (qui etiam Bajoariis, ut audivimus, leges dedit) *Bonogilum propè Pariſios juſſerit venire Epiſcopos, ubi multa illis largitus eſt, omniaque litteris confirmavit.* In hoc Concilio (inquit Hanſizius, qui illud ad annum 616. Tomo I. f. 102. collocat) *ea videntur fuiſſe præcipua, quo Religioni in Francorum Provinciis excolendæ per viros apoſtolicos conſuleretur. Itaque, ut refert S. Agili Biographus, ex cœtu Epiſcoporum Euſtaſius & Agilus electi, qui gentes doctrina falſi erroris deceptas ad gremium Sanctæ Eccleſiæ vocarent, & quibus Chriſtus necdum annuntiatus fuerat, fulgenti eloquio evangelizarent. Directo calle ad Bojos, quos terræ illius Bodoarios vocant, perveniunt, eosque multo labore fidei dogmate imbutos, plurimos illorum ad fidem Chriſti convertunt, ubi cum aliquantiſper morati fuiſſent, dimiſere ſagaces Viros, qui cœpti laboris in ſtudio deſudarent: uti teſtis Jonas Monachus Bobienſis horum temporum ſuppar.* Utrumque in Franciam iterum rediiſſe hunc Sanctum Virum Hanſizius addit: Idem quoque Clariſſimus Vir in Tomo I. f. 103. adnotat, Amandi celebre in Noricis nomen & cultum fuiſſe; Gandenſibus priùs & Tornacenſibus Franciæ Belgicæ urbibus ad frugem adducendis operam navâſſe, deinde ad Slavos in Norico tum dominantes annuntiandi Evangelii gratia & Martyrii ſpe acceſſiſſe, cùm autem nec fructus nec ſpes accreſceret, ad proprias iterum reverſum eſſe oves.

E Hunc

Hunc zelum apoſtolicum pro Norico, & quidem antequam Duci innoteſceret, in S. Corbiniano c. 9. etiam Aribo noſter celebrat, dum Romam è Gallia altera vice peteret hic Sanctus Præſul, *non jam publicum à Gallorum partibus arripiens callem, ſed ſecretiorem eligens viam, Alemanniam pervenit, deinde Germaniam, & ſic Noricam veniens ibi quamdiu demoratus, verbi divini ſeminavit doctrinam.*

Rupertum quoque Regali Francorum ſanguine ortum, & in Wormatia Franciæ tum urbe Epiſcopum Theodo Bavariæ *Dux ſtuduit rogare per nuntios ſuos* (ut vita primigenia ex Biblioth. Cæſareæ M. S. apud Hanſizium Tomo II. f. 37. loquitur) *ut hanc Provinciam viſitando ſacra illuminaret doctrina, unde prædicator Veritatis divino compunctus amore aſſenſum præbuit, primò ſuos dirigens legatos, poſtea verò ad Chriſti Gregem lucrandam per ſemetipſum venire dignatum fuiſſe.* Neque credibile mihi videtur Epiſcopum Regii præcipuè Stemmatis (ut eadem Vita habet) inſcio Rege Gregem ſuum ſibi ab hoc ipſo Rege commiſſum deſeruiſſe, & in aliam Provinciam ipſo invito perrexiſſe, præcipuè, quæ iterum huic Regi ſuo ſubjecta eſſet, niſi idem Rex, & in Concilio fortè Epiſcoporum, Provinciæ huic in rebus fidei iterum ſuccurrendam cenſuiſſet, ac impertitus fuiſſet licentiam: minùs quoque veroſimile, Ducem tam obnoxium Franciæ ſinè Regis venia, ſaltem præſumpta, ut loquimur, id auſum fuiſſe petere, & abſtrahere à ſede ſua ipſi à Rege aſſignata Epiſcopum regiæ domui conjunctum ut in alia Regis Provincia novam illi ſedem erigeret.

Quæ omnia niſi vehementer fallor, utique diſertè probant, Epiſcopos aut miſſos aut approbatos à Rege fuiſſe Provinciis quoque Francicis, inter quas Bajoaria, circa Religionis neceſſitudines in Conciliis à Rege indictis, ac coram eodem Rege cum Epiſcopis celebratis conſultum fuiſſe; atque hinc circa Apoſtolos ſaltem aliquos è Francia in Bajoariam mittendos, & quomodo ſe res catholica ibidem habeat, probè calluiſſe.

Atque ſic rurſum capio, quomodo intelligendum ſit illa Schiſmaticorum querela, quòd in Eccleſiis ſui concilii, id eſt Beconenſi, Tiburnienſi, & Auguſtana Galliarum Epiſcopi conſtitue-

ſtituerint Sacerdotes, id eſt in tribus Provinciis per Juſtinianum Imperatorem Regibus (ut ibidem etiam hi Patres innuunt) permiſſis Vindelicia nempe, Rhætia, & Norico. Rex nempe jure ſuo quemadmodum leges tulit Alemannis & Bajoariis, ita etiam his ipſis populis ſacerdotes miſit, vel electos in Epiſcopos confirmavit, quos deinde conſecrârunt Metropolitani Francici; *Sæpe enim* (inquit idem Valeſius p. 369.) *Reges noſtris non exſpectatis Clericorum oppidanorúmque ſuffragiis per ſe Antiſtitem eligebant, ac ordinandum curabant.* Nam Tiburnienſis & Brennenſis Eccleſia in Norico ſeu Bajoaria Auguſtana in Rhætia ſeu Alemannia fuit.

Alemanni enim (ut Bajoarii) Auſtraſiorum Regibus parent jam inde à Theodorico Clodovæi filio: ut notat Valeſius Rer. Franc. Tomo II. ad annum 587. atque hinc *Alemannorum Duci Leutfredo metu profugo, quia in Regis Childeberti offenſam incurrit, ſubſtituitur Uncilenus.* Ut idem auctor f. 347. habet. Et de utraque Gente Theodorus Eremita in vita S. Magni apud Goldaſti Scriptores Alemann p. 314. c. 14. hæc occurrunt: *Denique poſt obitum glorioſiſſimi Regis Pipini Filiis ejus litigantibus erectus eſt Huotilo in Ducatum Bajoariorum & Gotefredus in Regimine Alemannorum.*

Tali igitur modo cùm ſe res ſacræ in Francia illo ævo habuerint, certum eſſe puto, Regem probè edoctum fuiſſe, ſi quam Eccleſiam per mortem Epiſcopi in Bajoaria vacare contigerit, & cuinam Candidatorum, ut ita dicam, vel ipſe hanc dignitatem conferre, vel à Clero & Populo electum ſua voluntate approbare velit. Ex Bonogilenſi porro Concilio ſimili ratione convincitur, Epiſcopis Franciæ minimè obiter notum fuiſſe Eccleſiarum in Bajoaria ſtatum, ſimulque neceſſitudines, ac viciſſitudines ejusdem ſaltem majores haud perfunctoriè ab his trutinatas fuiſſe.

Jam non ampliùs igitur quemquam ut puto admiratio ſubibit, ſi Ingenuinum noſtrum tot Franciæ Martyrologiis inſertum audiat.

In ea quippe tempora incidit hic Sanctus Præſul (uti & Anteceſſores & Succeſſores ſui ſaltem plerique proximi) quo Bajoaria Francis paruit, & ſic Reges impoſuêre Epiſcopos, vel miſſos

 ex

ex Francia vel approbatos à ſe, quos Clerus & Populus in Bajoaria ſua elegit. Si porrò Religionis neceſſitudines ac viciſſitudines in Bajoariæ Epiſcopis Franciæ perſpectæ erant, uti primùm audivimus: quis affirmare auſit, ignotum ipſis fuiſſe Epiſcopum vel à Rege miſſum, vel ſaltem ſua voluntate indultum, in Schiſmate eſſe verſatum, ad Imperatorem appellâſſe Mauritium, cui tot cum Regibus Francorum tricæ, hunc tamen antiſtitem ſuis ac tot inſeruiſſe Martyrologiis, niſi longè alia & graviſſima quidem Sanctitatis argumenta ſciviſſent hi Præſules;

Dum enim obiit Ingenuinus, id ad ſucceſſorem eligendum, aut ſi electus ritè fuerit aſſenſu regio firmandum aulæ nuntiari debuit; ſi igitur ſingulari ſanctitatis fama magno utique Religionis bono, & incrementis eximiis aliquis horum Præſulum deceſſit, id utique etiam ſtatim Epiſcopis innotuit, ſine quibus nihil, quòd gravioris momenti, tum Reges componerent; & qui ideò frequentes vel in aula erant; vel quò rex eos vocaret, convenerant. Magno proin argumento hæc antiquiſſima Franciæ Martyrologia ſunt, ſtatim à morte non ſine certa Schiſmatis derelicti ſcientia, eximiisque in paucis Sanctitatis ſuæ indiciis in hæc relatum eſſe S. Ingenuinum noſtrum. Non enim video, niſi in Francia id ſtatim eſſet peractum, cur illum primùm poſtea inferrent, quem Schiſmaticum fuiſſe, vix non certò reſcierant: ex iis enim quæ capite antecedenti retulimus, Virum inſignem Nicolaum Fabrum miſiſſe eminentiſſimo Baronio Schiſmatis Aquileienſis monumenta, & ex libelli ad Mauritium Schiſmatici exemplari altero, quod ex Sirmondi Schedis prolatum eſt, Fragmentisque Epiſtolarum Pelagii I. à Labbeo ac Balluccio editis, non ineptè quis affirmet, plura documenta Schiſmatis Hiſtrienſis Franciæ ſuperfuiſſe, quàm Romæ ipſi; atque hinc Ingenuinum, probè aliàs ob ſchiſma notum, longè aliis ex cauſis coluiſſe.

CA-

****

CAPUT VI.

Brixinæ quoque jam Sæculo octavo cultus monſtrari poſſit.

Cùm igitur, uti modò percepimus in complura Martyrologia ac præcipuè in Turonenſi ante Translationem S. Corporis Sabionâ, & in aliis veriſimiliùs antequam Brixinæ Sacrum illius corpus cum illo S. Albuini jungeretur, illatus fuerit— — — — — Divus Ingenuinus noſter indagare nuper in Tabulario cœpi, num nihil ejus rei, de cultu nempe antiquiſſimo etiam in Diœceſi noſtra huic Sancto exhibito, quod referri dignum eſſet, invenirem. Et certè in libro Traditionum A. A. A. Signato in Parte priori à nobis c. 19. deſcripto, & qui, ut ibi retulimus, vivente S. Albuino conſcriptus eſſe tum ex contextu, tum ſcriptura ac peritorum judicio videtur, atque ita, ut arbitrari fas eſt, ad ſæculum decimum pertinet, ante omnes ejusdem Sancti, uti & unam alterámve Wiſumpti & Rihperti ipſius anteceſſorum Traditiones, iſthæc tanquam antiquiſſima inſcripta legitur:

Notum ſit omnibus Chriſti Fidelibus quatenus quidam Brixienſis Eccleſiæ Miniſter Meripoto & uxor ejus Ricard, cum laudatione Clericorum ac Laicorum nonaginta arabilis terræ jugera in loco Burginbach ſita areis in Concambione Hobe unius Vellis alteriusque Villandres ſuper Altare Sanctorum Caſſiani & Ingenuini in manus domini ſui Antonio electi omnium cum traditione ſecluſa delegaverit, ac tradiderit. Et cætera quæ legi integra poſſunt c. 6. Partis prioris.

Multa ſanè circa hanc chartam & dicenda liberè & conſideranda veniunt.

Et imprimis quidem repeto, Codicem Sæculi Decimi mihi aliisque ſane viſum eſſe, cui primo loco hoc Concambium inſcriptum legi; oportet ergo, ut hæc Traditio, ante Sæculum decimum celebrata fuerit, cùm nullus inſuper ullo tempore in Diplomatibus, Chartis Pagenſibus, aut momentis aliis *Domnus electus Anto* compareat: Præſules quoque noſtri ab anno 772. doceri

omnes monumentis authenticis poſſint; pronum eſt igitur ſuſtineri poſſe, eundem ante illos Sabionenſi præfuiſſe Eccleſiæ.

Si Catalogo membranaceo Reverendiſſimi Capituli, decimo tertio (quantum conſtat) ſæculo confecto, fidem adſtruere lubet, Anto vel circa finem ſeptimi, vel ad initium octavi hanc rexit Eccleſiam; nam hunc ipſum Antonem usque ad Alimum ſequuntur, *Laurentius*, *Joannes* & *Maſtulo*. Notas alias Chronologias hoc apographum habet nullas. Omiſit equidem hunc Antonem Anonymus Mabillonianus, verum uti monſtravimus, ita ipſius Epiſcopi Sabionenſes conſtituti ſunt, ut facilè intermedios admittant, atque hinc neque Antonem hunc excludant. Neque parvi faciendus eſt Catalogus noſter, utpote qui hos ipſos Epiſcopos, quos toties allatus Anonymus affert, omnes habet; licèt Manuſcriptum hujus Anonymi primùm ad Sæculi noſtri initium à Cl. Mabillonio in lucem protractum fuerit; non ergo recenter confictus argui poteſt. Præcipuè cùm Anonymum in Antiquioribus Eccleſiis erràſſe conſtet, & Sabionenſes ita recenſuerit Præſules, ut aliis intermediis locus concedendus ſit.

Quale Officium fortè Meriboto geſſerit, lubet ex Ducangio hoc verbo intelligere: *Miniſter idem, qui Miniſterialis apud Germanos*, inquit, citans Miracula S. Quirini Martyris C 2. n. 23. *Notus* (pergit) *Miles, Dietmaro nomen erat, Nobilis Friſingæ Miniſter*, & paulò poſt: *Miniſteriales minores officiales Regum, Ducum, Comitum, & Dominorum Feudalium, qui Dominorum ſubditis Jus dicunt, eorum jura procurant, cenſus & reditus exigunt, Villici ſeu Villarum Præfecti.* Et rurſum: *Erant ex Nobilium inferiori ordine, & Prædivites interdum.* Quæ ſanè omnia non multùm abludunt à Meripotone iſto.

Licebit igitur ſuſpicari, non recenter primùm conditam ibi fuiſſe SS. Caſſiani & Ingenuini Eccleſiam; cùm communiter reditus non primis, imò plerumque, nec aliquot decenniis ita ſtatim accreſcant, ut ad hos exigendos jam miniſteriali uſa fuerit, & quidem haud inope, ut colligitur: quod tamen Viris doctis decernendum relinquo.

Hoc tamen monendum, ſæculo octavo imò neque nono adhuc

huc locum Brixinam pertinuiſſe ad Sabionenſem Epiſcopum, primò tamen annô ſæculi decimi, à Ludovico quarto eidem Eccleſiæ conceſſam eſſe. Non tamen adeò incultum fuiſſe hunc locum, octavô etiam ſæculô, ex eo augurari licebit, quòd ſæculo nono Curtis ampliſſima fuerit, etiam plantatis vineis amæna, quam Ota Regina, Ludovici IV. Germaniæ Regis Mater, & Arnulfi iterum Germaniæ Regis Conjux, conceſſam habuit, ut Diploma loquitur: ut adeò potius Regia quàm ruſtica dicenda videatur curtis, quemadmodum arbitratus ſum in Conjecturis meis p. 112. ubi ex defectu autographi, imò etiam apographi integri, ad Cæſarem pertinuiſſe credideram: Curtes enim ruſticæ tantùm agreſtes quædam habitationes ædificiis, colonis, ſervis & latifundiis ad rem ruſticam neceſſariis inſtructæ fuerant; hæc autem, ut Diploma loquitur, inſtructa ac conceſſa fuit *cum Curtilibus ædificiis Familiis, mancipiis utriusque ſexus, parſchalchis, cenſibus, vineis, montanis, planitiebus, collibus, vallibus, alpibus, rupibus, foreſtibus, venationibus, agris, pratis, campis, paſcuis, ſylvis, aquis, aquarúmve decurſionibus, molinis, piſcationibus, viis & inviis, exitibus & redditibus, quæſitis & inquiſitis, mobilibus & immobilibus, terris cultis & incultis, & quidquid juſtè legitiméque pertinere ad eandem curtem dignoſcitur.*

Et certè, dum hæc ibi verba omnia inveniet adverſarius, veroſimiliùs forſitan mecum regiam quàm ruſticam curtem, qualem p. 24. deſcripſit, dicere poterit: Similem certè Regiæ fuiſſe, ut modo perſuadere ſibi patiatur Eruditiſſimus Vir, reliqua Diplomatis verba, quod Autographum deſcripſi & Parte priori etiam diſcuſſi, afferam; Ludovicus nimirum Rex Curtem hanc ideò donavit Sabionenſi Eccleſiæ, *quia idem Epiſcopium nulla Parentum noſtrorum auctum conſtat gubernatione, quin potius in Curia antiquorum illius Poſſeſſorum admodum eſt minutum, & attenuatum, ſed & nimia parvitatis paupertate dignoſcitur exiguum.*

Cùm igitur nimiæ remedium inopiæ afferre Ludovicus voluerit, donatione id regia præſtandum fuerat; munere nempe & Rege Germaniæ digno, & quo Sedis Epiſcopalis indigentia tolleretur. Neque Curtis ruſticæ conceſſis digna mihi videretur, quæ quinque Pontificum interventu indigeret, & quorum ſupplicatio-

cationem attendiſſe ſe Rex in Diplomate diceret, ita enim membrana loquitur:

Per Interventum Venerabilium Pontificum Dietmari, quoque Adalperonis, Waldonis ſcilicet, Erchanpaldi atque Tutonis. Et poſtea: *At nos per tantorum rationabilem Virorum ſupplicationem,* neque per hanc ſolam, *imò ob Beatorum Stephani Protho-Martyris, & Caſſiani Venerationem ſub quorum honore eadem dicata micat Eccleſia, ita fieri decrevimus.* Videtur igitur locus à me ex Meichelbekio allatus Preſſena ſæculo nono in Charta Numero 532. Pago potius ſimilior, quam locus omnino ignobilis fuiſſe. Et eſt hodiedum certè adhuc Brixinæ certus diſtrictus, qui *Pagus antiquus* vocatur.

Si itaque tenorem Chartæ Antonis cum Diplomate Ludoviciano conferimus, credibile fit, ſæculo octavo jam templum ſuis reditibus inſtructum adfuiſſe SS. Caſſiano & Ingenuino Sacrum, in loco non ignobili Curte nempe ampliſſima *Pribſna*, quæ ſæculo nono ad Germaniæ Reginam pertinuit: ac Monaſterium S. Stephani unà continebat. Quid jam prohibet ſuſpicari? ſi ſæculo octavo ſuis jam reditibus gaudebat, prædictum templum, hos illo ſæculo non omnes, ſed fortè aliquos minoris momenti ſæculo præcedenti jam acquiſiviſſe; nam ſucceſſu temporis hæc communiter fieri novimus. Hoc ſi factum fuiſſe, arbitrari liceret, tunc utique pateret, ſæculo jam ſeptimo ſtatim, hoc eſt primis à morte annis pro ſancto jam cultum fuiſſe Ingenuinum noſtrum. Superi faxint, ut rei hujus & plura atque ejusdem temporis clariſſimè adhuc argumenta inveniamus! nam extantibus ſemel & apparentibus ejusmodi monumentis, alia adhuc plura latere, quæ tandem rem ipſam in apricum proferant, non immeritò quis ſperare poſſet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Uti & alia primo ſtatim anno poſt Sæculum nonum.

Audivimus nunc, quid ex Charta Pagenſi pro cultu Sæculi VIII. non imprudenter omnino ſuſpicari liceat, imò conditionem loci ipſius ſæculo nono huic Chartæ ſuffragari ex Diplomate Ludovici IV. abundè intelleximus, quam Parte priori cum notis characteriſticis ejusdem ſinceritatis integram attulimus.

Donavit nimirùm Ludovicus Germaniæ Rex Sanctæ Seponenſis Eccleſiæ Venerabili Præſuli Zachariæ in Ratisbona 10. Dec. 901. Curtem inter Convallia in Comitatu Radpoti conſiſtentem *Prihſna* dictam pro Eccleſia in honorem S. Stephani Proto-Martyris & Caſſiani dedicata; eidem nempe, ut credere fas eſt, cui Meriboto Eccleſiæ Brixinenſis miniſter ſuper Altare SS. Caſſiani & Ingenuini XC. Terræ jugera tradidit.

Non ineſt equidem huic Diplomati Divi Ingenuini mentio, Verùm, cùm adſit Proto-Martyris S. Stephani & S. Caſſiani memoria, certum ſit, Divi Ingenuini quoque honoribus hanc donationem ceſſiſſe.

Ex documentis enim hujus ſæculi indubiis monſtravimus, ſicuti Sabionæ monaſterium & templum fuit S. Mariæ honoribus ac nomini Sacrum, in quo tamen cultus fuit S. Caſſianus, & ſepultus S. Ingenuinus; ita Brixinæ monaſterium fuit ac templum, quod S. Stephano ſacrum audivimus, in quo etiam ſingulariter Divus Ingenuinus cultus fuit, ubi ſimul etiam, ut ex charta Antonis audivimus, & ex Diplomatibus ac Chartis compluribus audiemus adhuc, digni quoque honores Sancto pariter Caſſiano ſunt habiti.

Teſtis aſſerti, quod nunc protulimus, omni exceptione major eſt Radpodus Comes (Pater, Filius, an alius illius nominis, qui ad initium hujus ſæculi in Donatione noſtra hujus Comitatûs

Rector fuit(nam id ob intervallum, quinquaginta ad minimum annorum, non auſim decidere) incertum eſt, hoc verò certiſſimum, ſub Richperto Epiſcopo, qui Divum Albuinum nullo intermedio (ſit Catalogo Reverendiſſimi Capituli fides) præceſſit, hanc donationem factam eſſe.

Quo anno autem Richpertus hujus Eccleſiæ regimen auſpicatus fuerit, me latet omninò, tempore autem Ottonis Magni jam præfuiſſe, ex ſequenti patet Diplomate.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Otto Divina favente clementia Rex, Noverint omnes in Regno noſtro circumquaque fideles præſentes ſcilicet & futuri, qualiter Venerabilis nomine Ribpertus Bribſinis S. Eccleſiæ Epiſcopus noſtram adiens clementiam per interventum Venerabilium Virorum, Thiotrici Epiſcopi, & Huotonis Comitis, dilectique Magiſtri noſtri prælatus eſt, ut antiquam capellam, quam olim anteceſſor noſter Beatæ memoriæ Hludovicus Imperator conſtruxerat in honorem S. Dei Genitricis Mariæ, & modò dilapſa eſt atque diſtructa, & eſt ſita in Radaſpona civitate, & quam Venerabilis memoriæ pius genitor noſter Otto Imp. reminiſcens illius priſtini ſervitii præfato Epiſcopo usque ad obitum vitæ ipſius in proprietatem donaverit. Et per dilectorum rationabilem Virorum ſupplicationem, & ob illius promptiſſimi optimam obſequii voluntatem eandem præfatam capellam præſcripto Epiſcopo usque in obitum ipſius vitæ in proprietatem donavimus cum cuſtibus (ſic) *& cuſtilibus, ædificiis, familiis, mancipiis utriusque ſexus cum cenſibus & decimis, ſylvis, ſtagnationibus, quæſitis & inquirendis, & cum omnibus juſtè, legitiméque ad eandem capellam pertinentibus, unde hoc præſens authoritatis noſtræ præceptum fieri mandavimus, & firmiter præcipientes, ut ipſa donationis noſtræ capella integriter cum vicis ac villulis proprietorio jure ſub poteſtate ſæpedicti Epiſcopi absque ullius Perſonæ retractione ſeu diminutione perpetuo conſiſtat, & ut hoc verius credatur, diligentiúsque conſervetur, manu noſtra propria id affirmavimus, & annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus.*

Signum Domini Ottonis M. & invictiſſimi Regis.

Ludolffus Notarius ad vicem Wilhelmi archicapellani notavi.

Data Id. Oct. Aº D. Incar. DCCCCL.XVII. Indict. X. Aº verò glorioſiſſimi Regis Ottonis VII. actum Bribſinæ in Domino feliciter amen.

De

De Sinceritate ejusdem non eſt, quòd quisquam dubitet. Signum enim illi additum admittit ex Meichelbeckio Gotwicenſis f. 194. & 902. voculam *affirmavimus*, idem ipſe f. 201. annos quoque regni ab anno Chriſti 761. f. 205. quem pro primo computat f. 207.

Cùm autem jam, ut Diploma loquitur, Pius genitor ipſius Otto Imperator Auguſtus, reminiſcens illius priſtini ſervitii præfato Epiſcopo usque ad obitum vitæ hanc ipſi capellam donaverit, etiam anni Ottonis Magni computandi nobis ſunt.

Principem hunc *Germaniæ Proceres A.* 936. *magna ſolennitate Aquisgrani Diademate aureo coronari fecerunt omni populo applaudente,* ait Struvius in Corpore Hiſtoriæ Germanicæ, probátque more ſuo eximie per coævos, optimósque Scriptores Wittichindo, Annaliſta Saxone, & Ditmaro Merſeburgenſi T. I. Periodo V. Germ. Saxon. Sect. 2. f. 233. & 234. Et iterum fol. 246. pergit: *Inde progrediens* (Otto) *Romam A.* 962. *acclamatione totius Romani Populi, & Cleri à Joanne XII. in Purificatione S. Mariæ Imperator & Auguſtus ordinatur.* Ex Heppidanno, Continuatore Reginonis, Ditmaro & multis aliis. *Ac tandem in Monaſterio Menlebienſi ad Unſtrudam morbo fuit correptus, & Nonis Maji* 973. *placidè defunctus*, quod rurſus f. 253. tum ex allegatis Superiùs ad annum 936. Authoribus, tum ex Lamberto Schafnaburgenſi, Mariano Scoto aliisque idem Struvius commonſtrat.

Sub hoc igitur Ottone Magno uti & ejus filio Ottone Secundo vixit Richpertus Epiſcopus. De quo in Libro Donationum A. A. A. f. 49. hæc Charta continetur Pagenſis.

In Dei Nomine, Ego Radpot Comes cogitans inſtabilitatem præſentium rerum & deſiderans adipiſci præmium futurorum, trado ad monaſterium S. STEPHANI & B. INGENUINI *Dei electorum Martyrum, quod eſt conſtructum in loco nuncupato* PRIXINA, *ubi modò Venerabilis Epiſcopus Ribpertus præeſſe dignoſcitur; hobas duas in loco nuncupato Tulis, ex legitima, & paterna hæreditate mea tam domibus, quam cæteris ædificiis, agris, pratis, campis, ſylvis, viis & inviis, quæſitis & inquirendis, exitibus & reditibus, aquis, aquarumque decurſibus, montibus, planitiebus, cultis & incultis, atque cum omnibus illuc pertinentibus ea videlicet ratione, ut eandem proprietatem usque in finem vitæ meæ poſſideam, poſt obitum verò meum apud dictum Monaſterium*

ſterium & ad uſum Clericorum ibidem Domino ſervientium absque ullius perſonæ contradictione redeat perpetualiter prædicto Clero poſſidendum. Et ſi Epiſcopus ipſius loci, aut ulla perſona prædictis Dei ſervis abſtrabere ipſam proprietatem voluerit, ad proximum hæredem meum revertatur. Et iſti ſunt ipſius traditionis teſtes. Erimpercht, Wago, Waltheri, Liuto, Minrich Luto Palthram. Alpkis, Gozpercht, item Gozhercht, Ruotprecht, Rihperht, Gros Teſſilo, Gunduuin Udalrich, Perenger. Gundold.

In eodem rurſus libro N. 29. hanc iterum Traditionem lego, an ejusdem an alterius, nolim diſcutere.

Comes Ratpot pro remedio Filii Chuonradi proprietatem in loco Parpian &c. Congregationi Fratrum S. CASSIANO & S. INGENUINO *ſervientium eo tenore, ut proprius ejusdem Comitis Clericus ad altare* S. INGENUINI *traditus. Teſtes undecim.* Et n. 30. ſequentem.

Idem Comes Ratpot pro remedio animæ ALBUINI *Venerabilis Epiſcopi & dilecti compatris ſui tradidit in loco Petrazzes duas colonias eo modo, ut ſi Albuinus Venerabilis Epiſcopus & Hatto Miles ejusdem Comitis, cui tunc in beneficium conceſſe erant, prior ex hoc ſæculo tranſierit Fratrum* S. CASSIANO & S. INGENUINO *ſervientium eas poſſideat. Teſtes* erant adſcripti ſolis nominibus ut tum moris.

Et demum n. 23. *Vir Religioſus Simpertus cum manu Ratpotonis Comitis vineam in Bauzana poſt obitum vite ſue ad altare* S. INGENUINI *locó Prixine Fratribus illic Deo militantibus & ſi ejusdem Sedis Epiſcopus vel aliqua perſona eandem vineam uſibus Fratrum auferre machinaverit, liceat ei prædicto Comiti, vel proximo hæredi ſuo cum uno denario in ſuum jus redintegrare, Teſtes Otto Comes, & undecim alii.*

Ex quibus omnibus utique colligere licebit, Brixinæ monaſterium ac Templum fuiſſe Divo Stephano, Divis Caſſiano & Ingenuino Sacrum: quis autem primus ex his SS. Patronis ibi cultus fuerit, fateor, me adhibita omni diligentia detegere haud potuiſſe; ſi tamen conjecturis (quibus certè ſi ullibi, hîc locum eſſe, debere, cùm in antiquiſſimis verſemur, nemo prudens negaverit) dandum ſit aliquid; Ego cultum Divi Stephani cæteris præferrem; cùm ut idoneis teſtibus didici Sacellanus S. Stephani, cujus ara adhuc in Templo Cathedrali ab omni ævo in memoriam

moriam ſupereſt, præ omnibus Jus quoddam quaſi Parochiale exerceat, dum tumulandis in Templo Cathedrali ceremonias ex ritu Eccleſiæ adhibet, & Funeribus præeſt: utrùm poſt S. Stephanum primus fuerit S. Caſſianus, an S. Ingenuinus, Sæculo IX, penitus ignoro: Sæculo decimo verò certè prælatus fuit S. Ingenuinus & ſic in poſterum.

His utcunque diſcuſſis vix mihi dubium remanet, quin Charta alia ex ſæpiùs citato libro A. A. A. p. 47. per me deſcripta ad hoc monaſterium pertineat, licèt tantùm Eccleſiæ S. Caſſiani fiat mentio. Cùm Brixinæ celebrata ac renovata fuerit ſequens Traditio.

Notum ſit omnibus, qualiter quædam mulier nomine Irminlind tradidit ad Eccleſiam S. Caſſiani cum manu Advocati ſui Huogonis Epiſcopo Wiſuntoni, & Advocatis ejus Wolfoldo & Paponi proprietatem, quam habuit in loco nuncupato Perge in huoſi ædificiis, campis, pratis, paſcuis, ſylvis, aquis, aquarùmve decurſibus, exitibus, & reditibus, & cum omnibus illuc pertinentibus. E contra verò tradidit prædictus Epiſcopus Wiſunt cum Advocatis ſuis Vuluoldo & Papone. Conſilio Suorum Clericorum ac Laicorum prænominate Irminlinde & Advocato ejus Huogoni in loco nuncupato Ouxuuenes ſimplicia contra duplicia prædictæ Traditionis. Niſi curtiferum etiam curtiferum ædificiis, campis, pratis, paſcuis, ſylvis, montibus; planitiebus, exitibus & reditibus, aquis, aquarùmve decurſibus, quæſitis & inquirendis. atque cum omnibus illuc pertinentibus habendi, & in perpetuum poſſidendi. Iſtius Teſtes utriusque traditionis Wiſunt, Peringer, Racpot, Weſelinc, Wolafrid, Paldram, Lantpold, Lantpercht, Wago, Chadalhoh, Walpercht, Engilpercht, Ribpert; Immolf, Heripercht. Actum eſt in loco Prixina VIII. Kal. Nov. Per ea verò renovavit veniens Epiſcopus Richpertus prædictam Traditionem cum prenominata Irminlinda ſimili tenore, ut antea Epiſcopus Wiſunt.

Et iſti ſunt inde teſtes Eribperht. Papo. Engilperht. Wiſunt. Megingoz. Adalperht. Fruotheri. Peringer. Gundolt. Huogo. Imici. Juncbram. Vuilahalm. Huoſperht. Heriwih. Sigihaſt. Sindperht. Actum eſt in Idibus Apr. In loco nuncupato Alpines, ſub Rege Ottone, Comite Ratpoto.

Ex his patet, cum translatio Sedis Sabionenſis Brixinam, uti & Sacri Corporis S. Ingenuini veroſimiliùs, ut capite proxi-

mo videbimus, ante finem Sæculi Decimi aut certè ad initium Sæculi Undecimi facta fuiſſe legatur, eundem Sanctum Epiſcopum ſaltem duobus, ſi non omnino tribus aut quatuor, ab ipſius morte ſcilicet, Sæculis Brixinæ ante omnem translationem Sacri Corporis ſui, ac Sedis Epiſcopalis ſingulariter cultum fuiſſe. Ego planè multùm hæreo, an non Diplomata omnia, quæ S. Caſſiani & Ingenuini mentionem ingerunt, & niſi diſertis verbis *Sabionenſi Eccleſiæ*, *Sabionæ Conſtructæ*, meminerint. An non, inquam, hæc omnia de Brixinenſi intelligenda ſint, nam ſi ſingula conferantur, hæc res veroſimillima evadet, modò enim *Monaſterium* & *Eccleſia S. Stephani*, modò *Caſa S. Ingenuini*, modò *Eccleſia S. Caſſiani & Ingenuini* compellatur, nunc uterque Sanctus comparet, an Librarii aut Notarii vitio, qui jam uno, modò bino nomine contenti, ſecundum aut ſaltem tertium omiſere? Nihil affirmo, comparatione vero facta, quilibet ſatìs capiet; num à meta longius propiúsve abſim.

* *

CAPUT VIII.

Ac varia Documenta decimo, & proximis Sæculis: præcipuè plurima ab ejus Cultore Eximio S. Albuino.

Primum quod hic occurrit, Ottonis II. Diploma eſt, quod doleo, me integrum ex autographo, quod tenui, ob temporis anguſtias non potuiſſe deſcribere, cùm non tam neceſſarium, ac alia ibi documenta tum reputâſſem, interim hæc ex illo notaveram.

Otto &c. *Curtem Ribnizza in Provincia Carentana Aſtuino infideliſſimo ablatam Brixinenſi Eccleſiæ in honorem* B. INGENUINI *Martyris conſtructæ, Albuino S. Sabionenſis & Brixinenſis Eccleſiæ Epiſcopo tradidimus &c. Gebertus Cancellarius ad vicem Willegiſi Archi-Capellani notavi. Data VI. Id. Septembris A° DCCCCLXX. - - - Regni Ottonis Imperatoris Auguſti XIIII. Indictione tertia. Actum in Campo Potavii.*

Supplet

Supplet annum, temporum injuria deletum, indictio III. & annus Regni XIIII. utpote qui anno 975. conveniunt.

Præcipuam verò donationem hic S. Præſul pro Ingenuino noſtro ab Henrico pariter Sancto impetravit in hunc tenorem:

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Henricus Divina favente Clementia Rex, Si Eccleſias Dei aliquibus divinitus nobis conceſſis rebus ſublimamus & exaltamus, non ſolùm ſummam laudem, verùm etiam divinam remunerationem nos inde recepturos ſperamus. quapropter noverint omnes noſtri fideles præſentes ſcilicet & futuri, qualiter nos pro remedio animæ dilecti Senioris noſtri Ottonis videlicet Imperatoris Auguſti, nec non pro noſtra & Kunigundæ dilectæ conjugis noſtræ per Interventum Venerabilis Epiſcopi Albuini quoddam noſtri juris prædium, quod dicitur Veldes, ſitum in pago Creina nominato in Comitatu Vuatilonis ſupra dicto nomine, id eſt Creina, vocitato eidem Venerabili Epiſcopo Albuino ſuæque Eccleſiæ in honorem S. Ingenuini Confessoris *& Caſſiani Martyris conſtructæ, tam ſibi, quàm ſuis ſucceſſoribus in proprium jus tradidimus, cum omnibus ſuis pertinentiis, id eſt Eccleſiis, caſtellis, ædificiis, mancipiis, utriusque ſexus, terris cultis & incultis, ſylvis & venationibus, pratis, paſcuis ſive compaſcuis, aquis, aquarúmve decurſibus, molendinis, piſcationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, ſeu omnibus, quæ dici aut nominari poſſunt, juſtè vel legaliter, ad prædictum prædium pertinentibus Comitibus ſive aliquibus Judiciariis perſonis de publico deſcripto, præter Eccleſiam Epiſcopi nil ſe intromittentibus, eo videlicet tenore, ut cunctæ declinationes ad opus Fratrum S. Ingenuino ſervientium reſervatæ ſupradicto Epiſcopo usque ad finem vitæ ſuæ ſecundum ſuam diſpoſitionem alia cuncta deſerviant, poſt finem vero vitæ ſuæ tertia pars ſui prædicti prædii ad uſum Fratrum propriè pertineat, reliquæ vero partes duæ Epiſcoporum iſtius Venerabilis Viri Albuini Succeſſorum poteſtati ſubjaceant. Et ut hæc noſtræ Traditionis pagina nunc & in futuro firma & inconvulſa permaneat, hanc certam inde conſcriptam ſigilli noſtri Impreſſionem inſigniri juſſimus, & propria manu ùt inferiùs videtur, confirmavimus.*

Signum Domini Heinrici Regis invictiſſimi Egilbertus Cancellarius vice Willigiſii Archi-Capellani recognovi.

Data

Data IIII. Idus Aprilis Anno dominicæ Incarnationis M. IIII. Indictione I. anno vero Regni Domini Heinrici II. Regis II. actum Trident.

Henricum quoque Carinthiæ Ducem ad tradendas duas huobas permovit, ut Charta n. 2. fidem facit.

Noverint &c. qualiter Henricus Dux Carintanorum per interventum Albuini Venerabilis Epiſcopi tradidit duas bobas cum manu uxoris ſue Hiltigarte unam in villa Uſboſun ſitam, aliam in villa S. Georgii ad Altare S. INGENUINI *pro redemptione animæ ſuæ.* Teſtes 11.

Sic Charta 7. mentionem facit, quòd Venerabili *Albuino Epiſcopo Nobilis Vir Dilbob proprietatem ſuam in loco Elves, ad altare* S. INGENUINI *tradiderit*, ubi & mentio ſit de ejus filio S. INGENUINI *Servo.* Teſtes XII.

Et in Charta 8. *quòd nobilis quidam Adalpertus Venerabili Epiſcopo Albino proprietatem in Villa Vibitina & loco Stilſes & partem duarum Vallium Runcalium Mules & Ried in altare* S. INGENUINI *poſt mortem uxoris Droſundæ ad anonam Præpoſiti, & Fratrum Chriſto ibidem famulantium.* Teſtes XIX.

Et Nobilis quidam Perabart (ut Charta n. 23. loquitur) *qui ſui juris Clericum Adabardum ad altare* S. INGENUINI *in manus Albuini & Advocati Epponis tradidit pro remedio animæ uxoris ſuæ nomine Werine, quæ loco Brixinæ ſepulturæ tradita eſt.* Teſtes novem.

Sic n. 19. *Commutatio facta eſt inter Albuinum & Udalricum cum uxore Adelſwinde circa Predium in Flinsbach, ad Eccleſiam* S. INGENUINI. Teſtes 21.

Et n. 20. Inter *Nobilem Gepold Commutatio mancipiorum, quæ tradidit beatæ memoriæ Epiſcopus ad altare* S. INGENUINI. Teſtes 8.

Rurſum n. 27. *Nobilis Femina Suanibild cum manu Mariti ſui Uodalgeri, & Neptarum ejus Gerhilt, Lena Egina tradidit ad S. Caſſianum & S. Ingenuinum ſuam proprietatem in loco Ragowa cum omnibus pertinentiis &c. & quidquid proprietatis in Comitatu Puſtriſſa babuit, in manum Venerabilis Epiſcopi Albuini & Advocati ſui Engildeonis. Et è contra recepit bobam in loco Stega & unum molendinum in loco, qui dicitur Ragouva &c.* Teſtes XVIII.

Ac

Ac ſequenti n. 29. *Nobilis Meginbard Servum ad altare* S. INGENUINI. Teſtes 3.

Item n. 34. *Nobilis Pero in mallo publico quærit ſibi in hæreditatem duas ſorores, & progeniem eorum in poteſtate S. Ingenuini poſſeſſam, ſed recredidit illas Albuino Epiſcopo.* Teſtes 5.

Ac n. 45. *Concambium cum Nobili Milite Ritherio, hic tradidit molendinum in loco Matereja ad Eccleſiam S. Caſſiani &* INGENUINI *& recepit ab Albuino equalem menſuram &c.* Teſtes VII.

Ne autem & ipſe exemplo ſuo aliis deeſſet, plurima beneficentiæ ſuæ documenta in Ingenuinum ſuum poſteris reliquit: Sic lego in Libro Traditionum ſuarum ipſo vivente veroſimilius conſcripto Chartam in Libro Traditionum A.A.A. N. IIII.

Notum ſit omnibus Chriſti Fidelibus, qualiter placuit inter Venerabilem Epiſcopum Albuinum & Ottonem Comitem, quandam Commutationem facere, quam & fecerunt; Tradidit idem beatæ memoriæ Epiſcopus quendam ſervum DEI CASÆ S. INGENUINI *proprium, cui proviſor præerat, qui dicebatur Urſus, præfato Comiti firmiter in proprium retinendum. E contra tradidit jam dictus Comes Otto quemdam ſuæ proprietatis Servum nomine Pezilinum filium Huozonis cujusdam Fabri in manus Venerabilis Epiſcopi, & in Advocati ſui Wagonis ad Dei caſam S. Ingenuini & in ſervitium Epiſcopi ejusdem loci firmiter ac perpetualiter absque ullius contradictione perſonæ poſteſtatione poſſidendum. Iſti ſunt Teſtes ejusdem commutationis, qui & traditionis Udalrich. Pernhart. Aripo. Reginold.*

Charta N. VI. pariter docet. Qualiter *Venerabilis Epiſcopus Albuinus Servum nomine Waltilonem cum manu Advocati ſui Duringi tradidit ad Altare* S. INGENUINI. Teſtes XVI. Item N. 21. *Servum Reginwardum,* & N. 51. *Servum Lanzonem.*

Peroptâſſem, ut Frater S. Albuini nominâſſet Servum illum, quem illi donavit teſte Charta n. 50. fortaſſis enim ex his tribus unus fuit, quem dein S. Ingenuino donavit S. Albuinus: Charta ſic habet:

Notum ſit omnibus Chriſti Fidelibus, qualiter quidam Marchi Comes Aripo tradidit ſui proprii juris ſervum nomine Lanzonem Fratri ſuo Albino Venerabili Epiſcopo absque contradictione alicujus perſonæ in proprietatem retinendum, aut quidquid placuerit, inde faciendum. Hujus

Digitized by Google

Rei Teſtes ſunt, Mazili, Pezili, Ritberi, Ugo, Eperberi, Engilſchacb, Peringer Egno Wolomunt.

Idem ipſe n. 16. celebravit, Concambium cum nobili *Lutto, qui tradidit ad Eccleſiam S. Caſſiani atque* INGENUINI *proprietatem in loco Teſſelinpercb & loco Utenhaimb. Teſtes per aures tracti XIV. actum eſt X. Kal. Feb. A° Dominicæ Incarnationis. DCCCCXCIII. in loco Uſbovon dicto ſub Ottone III. Rege.*

N. 17. Emit bona *in Chela ad eandem Eccleſiam.*

N. 18. Obtulit *XI. mancipia ad altare* S. INGENUINI. Teſtes XII.

N. 19. Ad idem Altare: *Mancipia, agros, prata, vineas, ſylvas in Comitia Junotbal ad locum Stein.* Et

N. 20. Iterum *pro remedio animæ ſuæ & Parentum ſuorum loca proprietatis Askouua & Tann: ea parte excepta, quæ ad Sororem ſuam & Filios ejus pertinuit, ad Altare* S. INGENUINI. Teſtes XVII.

N. 25. Commutatione facta ipſemet Albuinus, *partem predii, qua Sororem ſuam nomine Geppam & Filios ejus hæreditavit in loco, qui dicitur Aſcouva tradidit cum manu Advocati ſui Reginoldi ad altare* S. INGENUINI *& in manus Advocati ſui Epponis.* Teſtes IX.

N. 32. Charta rurſum memorabilis ratione quoque ejus nobiliſſimæ Familiæ, in qua hæc continentur:

Nobilis Femina Tritta Nepta Albuini Beati Epiſcopi tradidit unum pratum Tagaſciæ nominatum ſine nemore ad altare S. INGENUINI *pro remedio animæ Albuini Epiſcopi, & Patris ſui ſimiliter nuncupati, ac Matris ſuæ Hiltigarde ac ipſius nobilis Femine Matris Perechſuuint, ac Udalperti Epiſcopi ipſius avi, cæterorúmque amicorum ſuorum, ac Mariti ſui Hadamaris, ac Germanæ ſue Hiltigarde religioſe monialis, ac filiorum ſuorum Eperhardi, Gerbohis, Wolfoldi, Utéque monialis, filiorúmque ejus Jacobi, Geroldi, Timaris Heinperti. Hoc actum IIII. Kal. Jun. apud Brixinam Teſtes* 8. Uti & rurſum n. 29. In Sectione altera:

Notum ſit omnibus Chriſti Fidelibus, qualiter Alwinus Epiſcopus tradidit cum manu Fratris ſui Ariponis & Advocati hoc prædium, quod in loco Gottindorff in hac die ſub poteſtate, & veſtitura poſſedit, in manus

Digitized by Google

nus ſororis ſuæ Gepun, & Mariti ſui Pezelini ejusque filiorum firmiter tenendum, & quidquid illi placuerit, illi faciendum. Huic gratiæ beneficio reſpondens præfata Geppa recredidit ſe cum manu mariti ſui Pezelini, ejusque Filiorum bujus Portionis, quæ ſibi in loco Aſcovua Traditione Fratris ſui Hartwici poſt obitum præfati Eppi Fratris contingere debet. Et tradidit in manus jam dicti Epiſcopi & Advocati ſui Rodanis firmiter ſibi tenendum & Ecclesiæ cui præfuit, in loco Prixina *perpetualiter poſſidendum. Iſti ſunt Teſtes Wezil, item Wezil-Udalſcbalcb, Perabard, Ridberi, item Ribberi, Erimpercbt, Rumold. Waltbuni Ladimar, Udalger, Durincb.*

Et 30. *Noverint omnes Chriſti Fideles, qualiter quædam nobilis Femina Nomine Wezala tradidit Fratri ſuo Albuino Epiſcopo boc prædium, quod ad Gozzlindorff babuit cum omnibus accidentibus firmiter ſibi tenendum, aut quidquid placuerit, inde faciendum, vel inde tradidit præfatus Epiſcopus eidem Sorori ſuæ 5. mancipia, Et in ipſa bora tria firme reddidit, & duo in inducia certe ſtatuta, ex ipſo aut Succeſſore ſuo tradenda certius promiſit.* Iſti ſunt Teſtes Udalſchalch, Rodani, Pezili. Erimpercht.

Ut adeo hic Sanctiſſimus Vir cum Illuſtri Familia ſua S. Anteceſſoris ſui Ingenuini cultum eximiè promoverit. Præter jam dictas Chartas, quarum nobiliores duntaxat attulimus, plurimæ in eodem libro occurrunt Traditiones ſimiles à Fidelibus omnes huic loco factæ, *Monaſterio* nempe & *Eccleſiæ Brixinenſi, ejusque Cœnobitis*, *Fratribus* & *Canonicis*, *Fratribus Deo militantibus*, *Congregationi Fratrum & Confratrum ad Dei Caſam*, *ad Caſam S. Ingenuini.* N. 3. & 23. 29. 30. *Præſcriptæ Canonicæ S. Caſſiani & Ingenuini Fratribus* n. 33.

Divi quoque Albuini ſucceſſores proximi Adalbero & Heriwardus, uti & Hartwicus ab Henrico Sancto & Conrado II. inſignes gratias retulêre, pro Eccleſia Sanctorum Caſſiani & Ingenuini, quorum Diplomata in parte prima attulimus, cum ea primo loco S. Caſſiani mentionem afferant. Ita Diplomata quoque Henrici IV. de An. 1063. Henrici V. de anno 1117. loquuntur, unum tamen quod Divum Ingenuinum *Genuwinum* vocat, & S. Caſſiano præfert, hìc minimè tacendum eſt, licèt aliàs Diplomata Sæculi XI. nec adhibere facilè velimus, nec iis etiam indigeamus.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Henricus Divina favente Clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Notum eſſe volumus omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrisque fidelibus tam futuris, quàm præſentibus; qualiter ob interventum dilectiſſimæ Conjugis noſtræ Imperatricis Agnetis, nec non filii noſtri chariſſimi Henrici quarti Regis, cujusdam Ebbonis prædium videlicet Odeliſniz cæteráque bona ſua omnia, quæ in Marcha & in Comitatu Otacharii Marchionis ſita ſunt, quo ipſo Majeſtatis reo & capitalis pœnæ ſententiam ſubire damnato, omnia bona ſua noſtræ poteſtati, noſtróque publico Juri adjudicata ſunt, nos Eædem Sanctæ Brixinenſi Eccleſiæ in honorem S. GENUWINI *& Caſſiani Martyris conſtructæ concedimus, damus & confirmamus cum eodem jure, & cum hisdem pertinentiis, quibus prædictus Eppo tenuit. Hoc eſt areis, ædificiis, pratis, paſcuis, terris, cultis & incultis, ſylvis, venationibus, aquis, aquarúmve decurſibus, piſcationibus, molis, molendinis, exitibus & reditibus, viis & inviis, quæſitis & inquirendis, etiam omni utilitate, quæ ullo modo inde poterit pervenire, ea videlicet ratione, ut Epiſcopi prædictæ Brixinenſis Eccleſiæ de ſupra memorato prædio liberam deinceps poteſtatem habeant tenendi, commutandi, ſeu quidquid illis ad uſum prænominatæ Eccleſiæ placuerit, inde faciendi. Et ut hujus noſtræ Imperialis traditionis auctoritas omni tempore ſtabilis permaneat, hanc cartam inde conſcriptam manu propria ſubter corroborantes, Sigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.*

Signum Domini Henrici tertii Regis invictiſſimi Sedi Romanæ Imperatoris Auguſti Wintherius Cancellarius vice Tutbaldi Archicancellarii recognovit.

Data X. Kal. Martii Aº Dominicæ Incarnationis MLVI. Indict. VIII. Anno autem Domini Henrici Regis Tertii Imperat. autem ſecundi ordinat. ejus XXVII. Regni quidem XVII. Imp. autem X. Actum Mogoniz in Dei Nomine feliciter Amen.

Continuata eſt ea pietas à privatis quoque ut idem Liber A. A. A. & alius Codex litteris B. B. B. ſignatus, loquitur ſub B. Hartwico, Altwino, Poppone, dein Damaſo II. Pontifice maximo, Hugone, Reginberto, B. Hermanno, & Ottone Epiſcopis.

Juvat quoque hîc Synopſin Diplomatis alterius Henrici IV. audire, nam S. Ingenuinum præfatæ Sedis Tutorem invictiſſimum compellat.

In

In Nomine &c. Henricus Dei favente clementia Rex, ob Altwini S. Brixinenſis Eccleſiæ Servitium S. Ingenuino præfatæ ſedis tutori invictiſſimo, quidcunque Welfo Dux, dum erat Dux noſtro Dono, & noſtra gratia, habuit in pago Paſſyr, nominato ſitum in Comitatu Gerungi, in Comitatu Friderici, cum omnibus appendiciis in Alpibus & Alpinis donavit &c.

Gebehardus Cancellarius recognovi. Dat. anno Dominicæ Incarnationis 1078. *Ind.* 1. *ordinat.* 24. *Regni* 22. *Patavia actum feliciter.*

Manſit ejus certè Veneratio defixa Fidelium animis etiam poſterioribus Sæculis ita quidem, ut licèt tanquam Patronus Templi Cathedralis Brixinenſis S. Petrus & Paulus usque ad Decimum Sextum omnino Sæculum eminuerint, ſemper tamen inter Divos Principes legatur Ingenuinus.

Non poteſt equidem tam certum tempus definiri, quo Sabiona Brixinam migraverit cum Clero ſuo Epiſcopus, nam licet in Conjecturis meis p. 136. id Richperto adſcripſerim ob Brixinenſis Epiſcopi titulum ipſi primo datum, id tamen infirmum deprehendi nuper, dum complura vidi Diplomata.

Nam poſt Richerum adhuc Sabionenſem Epiſcopum in Diplomatibus S. Albuinum annis 977. 1002. & 1004. & ejus Succeſſorem Adalberonem An. 1011. compellatum video.

Poſt Adalberonem verò nullum in ejus Succeſſoribus *Sabionenſem* amplius Titulum lego. Sed hos univerſim Heriwardum nempe in Diplomate Henrici II. de anno 1020. Hartwicum in Diplomate Conradi II. de anno 1027. & 1028. Popponem in Diplomate Henrici III. de anno 1040. & 1048. Altwinum in Diplomate Henrici IV. de anno 1063. omnes omnino *Brixinenſes Epiſcopos* inſcriptos reperio.

Placet igitur Ottonis II. Titulus, qui S. Albuinum An. 975. *S. Sabionenſis & Brixinenſis Eccleſiæ Epiſcopum* dixit. Catalogus proin ille ante quadringentos & amplius annos in membrana conſcriptus non multum aberravit, ut puto, qui hæc de S. Albuino inſeruit: *Multorum denique temporum labentibus curriculis S. Albuinus Sabionenſem Sedem ſuſcepit regendam, conſilioque Cleri ac*

ri ac Populi Brixinam, ſicut nunc cernimus, cathedralis dignitas eſt tranſlata. Corpus Beatiſſimi Ingenuini cum magna eſt dignitate tranſlatum, nec enim privari debuit Cathedra ſuo Cathedrato, & qui primus eam ſua morte, & Sepultura decoravit, cum B. Petro Apoſtolo meritò obtinet Patronatum.

Idem M.S. dein addit: *Albuinus - - - cum S. Ingenuino Præſulatûs & Patronatus obtinuit dignitatem, & in eadem Eccleſia in parte auſtrali ſepultus eſt ante Altare glorioſæ V. & Martyris Agnetis, Crebris autem ibidem coruſcans miraculis abinde levatus eſt ad Altare SS. Petri, & Ingenuini cum gloria translatus eſt III. Idus Maji.* Tranſlationem Sedis peractam eſſe An. 994. nota marginalis indicat: num ritè, ignoro, circa annum milleſimum id eveniſſe vix hæreo, eò quod S. Albuinum An. 1002. & An. 1004. ex Diplomatibus binis eodem tempore datis adhuc quidem ſuperfuiſſe convincar, anno 1011. verò jam in ſimili Inſtrumento Adalberonem, qui eidem ſucceſſit, legam Epiſcopum. Cæterùm accedere iis nondum audeo, qui ſine teſte An. 1006. defunctum tradunt.

Et quamquàm S. Stephanus locum in Templo Cathedrali principem, dein SS. Petro & Paulo ceſſerit; S. Ingenuini tamen memoria in illo ſemper Singularis remanſit.

Jam enim altero poſt translatam Sedem Sæculo Chartam B. Hartmanni invenio, in qua Traditio fit ſuper Altare SS. Petri & Pauli Apoſtolorum & S. Ingenuini, Teſtéſque adducuntur, Comes Adalbertus de Tyroles, Fridericus de Eppane.

Et certè complures tempore B. Hartmanni in Codice Membranaceo B.B.B. notato inveni à p. 129. Chartas, in quibus modò uterque SS. Petrus & Paulus, modò Petrus ſolus comparet, frequentior tamen cum his S. Ingenuinus, quàm S. Caſſianus Sociatus cernitur.

Notabilis in hanc rem eſt Charta Comitis Bertholdi de Tyroles:

Noverit Chriſtianitas, quòd Comes Berchtold de Tiroles pro remedio animæ ſuæ, & Fratris ſui Adalberti Comitis de Tirolo, qui ſic fieri rogaverat, duas Hobas Carintiæ in villa Tibnihe ſuper Altare S. I. & A. tra-

A. tradidit atque legavit. hoc autem factum eſt præſente Duce Welffone, ac filio ſuo Welf. qui & Teſtes tracti ſunt per aures, & alii complures. Hugo Nobilis, & Miniſterialis Eccleſiæ, Adalprecht, Judex, Purechort, Otacher, Henrich, Ruoprecht. Ad Inveſtituram Idem Dux cum Filio ſuo in manus Brixinenſis electi Ottonis & Comitis Ottonis de Valeige.

Teſtes Berchtold Comes, & Advocatus item Perchtold Comes, & Cuonradus Comes.

Ac denique ſub Eberhardo Præſule.

Sub Eberhardo Epiſcopo Altmannus de Monte S. Brixinenſis Eccleſiæ Miniſterialis ſuper Altare SS. Petri C. & Ingenuini offert &c. Teſtes D. Udalrich, de Schöneberch Ulricus Senex, omnes Canonici, Ottaker de Niwenburch, Fridericus de Monte, Engelm. Vill. de Laian, Wern. Filius præſcripti Aaltmanni & alii fideles quamplures. Actum eſt hoc in aſſumptione B. M. V. cùm primò D. N. Eberhardus Epiſcopus miſſam ſuper eodem altari celebravit.

Conſtat autem ex Chronico Salisburgenſi à Caniſio in Lectionibus antiquis edito T. III. p. 2. f. 178. Anno Domini MCC. *Adalbertus Archiepiſcopus Salzburgenſis beatæ memoriæ 6. Id. Aprilis obiit. cui Eberhardus Brixinenſis Epiſcopus ſuccedit.*

Obtinuit id adhuc An. 1234. nam in litteris Indulgentiarum Epiſcoporum triginta quinque Concilii Lugdunenſis Patribus de An. 1234. Ind. 2. Kal. Julii eas conceſſas eſſe conſtat, in Feſtis *Petri & Pauli, Ingenuini & Albuini.*

In Litteris Conſecrationis autem novi Templi Cathedralis datis Idibus Auguſti An. 1237. ab Eberhardo Archi-Epiſcopo Salisburgenſi An. MCCXXXVII. fit mentio *Patronorum Loci S. Ingenuini & Albuini.*

Peractam autem eſſe hoc anno Conſecrationem etiam citatum Chronicon Salisburgenſe dicit: *Anno MCCXXXVII. Salisburgenſis Archiepiſcopus Eccleſiam Brixinenſem dedicavit, & oſſa Beati Hartmanni à Terra reverenter ſublevavit.*

Verùm licèt circa nomina Patronorum nonnihil varient documenta, cultus tamen D. Ingenuini conſtanter fuit retentus, ut iterum

iterum ex Bulla Alexandri IV. in eodem Tabulario aſſervata & anno 1257. data lego:

Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Epiſcopo & dilectis filiis capitulo Brixinenſi Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Sanctorum meritis inclyta gaudia Fideles Chriſti aſſequi, minimè dubitamus, qui eorum percondignæ devotionis obſequia promerentur, illúmque venerantur in ipſis. quorum gloria ipſe eſt retributio Præmiorum.

Nos igitur ad conſequenda prædicta gaudia cauſam dare Fidelibus Populis cupientes omnibus ferè pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam veſtram in ſingulis feſtivitatibus B. M. V. Glorioſæ & S. Ingenuini, cujus eſt ipſa Eccleſia inſignita vocabulo, nec non in Anniverſario Dedicationis ejusdem annis ſingulis venerabiliter viſitavit, de omnipotentis Dei Miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, centum dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Viterbii XV. Kal. Decembr. Pontificatus noſtri anno tertio.

Denique in toties laudato codice B. B. B. à p. 156. Inſtrumenta vidi de annis 1312. 1316. & 1321. conſcripta, in quibus Traditiones *SS. Ingenuini*, *Albuini*, *Petri*, *Stephani*, *Caſſiani & Hartmanni altaribus factæ recenſentur.*

Cùm igitur à Sæculo jam octavo & nono, ac omnium frequentiſſimè decimo, ad decimum quartum usque ejus cultum monſtraverimus, ab illo verò tempore (uti & priori jam & fortè anteriorum Sæculorum) Codices Liturgici MSS. adhuc complures ad noſtra tempora ſuperſint, ulteriori probatione de cultu hujus S. Præſulis abſtineo.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Neque infirmum prorſus argui poteſt Anonymi Mabilloniani Teſtimonium.

Jam verò & illud minimè capio, quomodo Contradictor Eruditiſſimus Numero XXII. ſcribere voluerit: *Illud item animadvertere licet, ſi ab externis Documentis ad domeſtica nos conferamus, Anonymus Mabillonianus Paulo Diacono proximior, ejusdem tenebris non omnino quidem obſcuratus; Sed tamen aliquantulum obfuſcatus fuiſſe videtur, Ingenuinum enim* ALMUM *duntaxat appellat,*

Ingenuinus habens primò quam rexerat almus.

Si enim ejus Verſus Ulteriores C. 2. conſideremus, quinque duntaxat affert, Eccleſiæ Sabionenſis Præſules, inter quos Alimus quartus, & Anonymus quidam quintus eſt, quem ex Mabillonio item ex Meichelbekii, ac Hanſizii actis primo duntaxat ſæculi noni decennio, notum fuiſſe monſtravimus, ultra hoc autem tempus nihil omnino attulit de Sabionenſibus Anonymus. Nunc quæro, num veroſimile ſit, quòd primo ſtatim decennio ſæculi noni, & ideò etiam æquali temporis ſpatio, id eſt primo pariter decennio ab obitu Pauli Diaconi, Anonymo Mabilloniano in Germania, ejusdem Pauli Codex, in manus venerit. Cùm non procul Neapoli in Monaſterio Caſſinenſi hoc de Geſtis Longobardorum opus conſcripſerit. Imo num credibile ſit, etiam poſt quadraginta annos id factum? Viro, qui in Condendis Verſibus occupatior fuiſſe videtur, quam in Colligendis, examinandisque monumentis hiſtoricis: his tamen nec immoror, nec veluti firmum quid amplector.

Quin ſi etiam conſtaret, ipſi ad manum fuiſſe Paulum, an, cùm nec minimum quid Sanctitati proprium hic afferat, eruere nihilominus tanta ex illo potuiſſet Anonymus, ut Ingenuinum *Almi* titulo honorâſſet? quem tamen inter triginta quatuor Præ-

ſules in ſuis Verſibus contentos (numeravi enim argumenti hujus cauſa) quorum aliquos repetitis vicibus dilaudat, folùm quatuor Præſulibus tribuit. Res hæc planè ulteriori examine digna videtur.

Ego certè Anonymum non Pauli Diaconi tenebris, quæ tantæ mihi haud videntur, ut obſcurare Viros vel mediocriter doctos potuiſſent, præſertim talem, qui alios ſæculi prioris & ſui Sanctos Epiſcopos celebrari, & cur adeò celebrentur, audivit, ſed aliunde obſcuratum prorſus Scriptorem dicerem, qui ſine legitimo fundamento aliquem inter Sanctiſſimos Sæculi Sui ac prioris Præſules ſolus collocâret: minus dicerem, ſi obfuſcatum duntaxat dicerem.

Neque *Almi* titulus tam levis eſt, ut adverſarius illum extenuat, dum ait, quòd Anonymus *Almum duntaxat* Ingenuinum compellârit.

Scio varios hujus vocis ſenſus apud doctos eſſe, ſic dicimus: *alma Parens*, *dies*, *fides*, *Lux* &c. Uti & *alma Mater Eccleſiæ alma Roma.* Sic apud Ducangium h. V. Ludovicus Pius *almus* vocatur, & apud Meichelbekium in præfatione Libri Traditionum Friſingenſ. f. 116. *alma præcepta.* Et magis propriè: *alma Trinitas*, *almus Spiritus: & Sanctiſſima Almitas.*

Sed juvat ipſum Anonymum examinare, quo ſenſu ille acceperit, & quibus ille hunc titulum tribuerit. Carmine igitur I. verſu 2. eundem S. Rudberto impertitur

Quam primò fundans Rodberto rexerat almus.

Nil igitur niſi Sancti Titulum Vox *almus* in Rudberto hic ſignificat; nam pro tali hic Antiſtes Anonymi tempore jam ubique habebatur; quod præcipuè ex vita primigenia apud Hanſizium T. II. p. 35. colligitur, utpote quæ S. Rupertum *honorabilem Confeſſorem Chriſti*, *Virum Dei*, *Sanctum Virum*, *Virum Domini*, *Sanctum Pontificem* iterato cognominat. Cultum quoque hujus S. Præſulis eximiè promovit, ejusdem poſt annos quatuor & viginti Succeſſor S. Virgilius, qui in Sanctiſſimi hujus anteceſſoris ſui honorem, novam baſilicam An. 767. molitus eſt, atque in hanc ſacra oſſa tranſtulit, ut ex monumentis autenticis docet idem Hanſizius cit. T. f. 65.

Carmi-

Carmine dein quarto v. 2. hoc almi, ſeu Sancti elogium S. Corbiniano affigit,

Corbinianus ovans quam primus rexerat ALMUS.

Corbinianum hunc jam Aribo huic ſuppar in ejus actis pariter, *Beatum*, *Dei Venerandum famulum*, *Virum Dei & Virum Sanctum* ferè ſingulis capitibus compellat. Ita & Chartæ Pagenſes ſub hoc Aribone aliisque poſt hunc Epiſcopis à n. 24. apud Meichelbekium diſertè loquuntur. Ut nihil de Sacri Corporis duplici non ſine prodigiis translatione & cultu percelebri, qui ſtatim à morte invaluit, hîc afferam; utpote cùm ea omnia in actis Divi Valentini à me editis c. 20. & 23. ex Aribone præcipuè ipſo enarrata fuerint.

Eodem quoque Carmine IV. verſu hoc Almi Epitheton Hittoni Epiſcopo, Ex Succeſſoribus ejusdem Divi Corbiniani quinto, addit.

Poſt hunc Hitto Pater ſedem jam rexerat Almus.

Venerabilem hunc Virum Hittonem Summa Virtute, excellenti doctrina, liberalitate in pauperes & Eccleſias inſignem, cultûs divini augendi cum turba quam collegit, plurima ſervorum Dei ſtudioſiſſimum, Meichelbekius à f. 101. docet, addens f. 117. *Præcipuam Sanctitatis laudem habuiſſe hunc Hittonem, tum ex geſtis illius, tum ex eo colligitur, quòd ejus nomen à Weihenſtephanenſibus Martyrologio Venerabilis Bedæ inſertum fuit, manu ut videtur Sæculi Undecimi, id quod non aliis, niſi ſancta morte defunctis fieri olim conſuevit ut eruditi nôrunt.*

Mortem hujùs venerandi Præſulis ad annum 835. alligat idem Meichelbekius, obiit ergo vivente Anonymo, qui utique almi titulum non auſus fuiſſet, in Scriptis ſuis tribuere Hittoni, niſi illo tempore, perſpecta fuiſſet illius Sanctitas; innumeri enim Teſtes vivi reprehendiſſent hunc Poëtam, quòd auderet Hittonem ſimili cum Sanctiſſimis Epiſcopis Rudperto, & Corbiniano ornare encomio. Ego certè vehementer miror, quòd Meichelbekius, qui alias hunc Anonymum non ſemel attulit, hunc Hittonis titulum in ejus Actis non animadverterit, utpote

H 2 qui

qui tanquam à Teſte coævo, & probabiliùs etiam vicino profectus, illi ad probandum adhuc Hittonis Sanctimonium egregiè ſerviiſſet.

Verùm, ne *Almi* titulum ex proprio Poëtæ Anonymi ſenſu, quo abundare potuit, aut Carminis concinnandi gratiâ, ſumptum quis inferat, audire juvabit, quo ſenſu alii illius temporis Viri docti hoc *Almi* epitheto ſint uſi: & quidem in ipſa urbe Ratisbona, ubi nempe Anonymi verſus invenit Vir præſtans Mabillonius.

Codex ibi eſt, teſte Eckhardo in Francia Or. T. II. f. 563. ad S. Emmeramum aſſervatus, quem Arnulfus Imperator dono ſibi datum Sancto Emmeramo Ratisbonæ obtulit, cui Ramvoldus ejusdem tunc ibi Monaſterii Abbas præter alios etiam hos verſus inſcribi curavit:

Bis quadringenti volitant & Septuaginta
Anni, quo Deus eſt Virgine natus homo.

Et rurſum:

Hunc Librum Carolus quondam perfecit honorus
Quem more Emramo Ramvold renoverat Almo.

In ſenſu igitur legitimo, & illo etiam tempore uſitato Sanctum dixit Anonymus Ingenuinum noſtrum, minimè à Paulo Diacono deceptus, poſtquàm cultus ſanè non incelebris hujus Præſulis jam pridem in Francia, & in ipſo Epiſcopatu Sabionenſi ipſi fuit exhibitus, quem utique, dum in Bajóaria ſcriberet hic Author, haud difficulter reſcire potuit.

CA-

CAPUT X.

Excuſandi itaque Noriſius & Bollandus, tum Sanctitatem ex cultu, tum Converſionis cauſam adſtruentes.

Probavimus hactenus cultum Divi Ingenuini noſtri jam ad initium Sæculi octavi invaluiſſe, continuatúmque nono, decimo, ac ſequentibus, non ex Longobardici Hiſtoriographi erroribus, ſed ex Martyrologiorum, Diplomatum, & Chartarum Pagenſium fide, tum legitimo Anonymi Mabilloniani Teſtimonio, iterum non ex Paulo deſumpto.

Ritè igitur Eminentiſſimus Noriſius, quo Schiſmatis Hiſtoriam nemo fortè meliùs tenuit, Paulum Diaconum Authorem eſſe non poſſe Sanctitatis, aut cultûs, ſagaciter perſpexit, neque tam facilem patere aditum in Martyrologium ob Bellinii ſententiam ſcivit: aut cultum impendi à tota & ampliſſima Diœceſi aliqua ſine certiſſimis Sanctitatis monumentis, hisque ab antiquiſſimis temporibus Vir in his rebus exercitatiſſimus probè calluit, atque hinc non incautiùs egit, ut vult Scriptor Roboretanus p. 114. dum in Diſſ. de Synodo V. C. IX. §. 6. hæc ſcripſit: *Inter Epiſcopos Schiſmaticos, qui contra Apoſtolicam Sedem Pontificibus Pelagio II. & Gregorio M. pro Schiſmate depugnârunt, fuit Ingenuinus Sabionenſis Epiſcopus, qui primus Libellum ad Mauritium contra S. Gregorii mandata conſcriptum ſignavit, & Apoſtolicæ Sedis judicium fugiens profanum Imperatoris tribunal appellavit. Illius tamen Feſtum peragitur Brixinæ in Rhætia ſecunda, unde dicendum eſt cum Bollando, illum reſipuiſſe & ad meliorem frugem reverſum.* Et paulò poſt: *Quodſi illorum quoſdam ab errore diſceſſiſſe conſtet, ut de S. Ingenuino narravimus, de eorum pœnitentia nobis lætandum eſt.*

Qua autem ratione, cujus impulſu id factum, altùm ſilent Codices antiqui, & monumenta noſtra. Quid ergo affert Bollandus? *Veriſimile ergo eſt* (ait T. I. Febr. f. 669. §. V. n. 33.) *Ingenuinum*

nuinum maximè poſtquam Theodolinda Regina primùm in partes defenſorum trium capitulorum perducta, deinde ſtudio S. Gregorii (ut ex ſuis ad eam & alios Epiſtolis patet) ad Catholicorum Communionem erat revocata, & ipſum quoque dediſſe Veritati manus. Verùm reponit Adverſarius p. 63. *At quid commune Theodolindæ Langobardorum Reginæ cum Ingenuino fuit? cujus diœceſis Langobardorum Imperio minime parebat? liceat id conjectare de Venetiæ Epiſcopis, qui ſubjectas Theodolindæ Diœceſes regebant, non de iis, qui illius dominio diſſociebantur. Bollandi igitur ſententiæ renuntiandum putat.*

Ego verò longè alia ex hujus actis pro Sententia Bollandi colligi poſſe cenſeo. Liceat igitur mihi, cùm de cultu, Sancto huic tempore legitimo, ritè impenſo conſtet, etiam circa modum, quo converti potuerit, probabiles quaſdam conjecturas, præcipuè dum cum Illorum temporibus rationibus levi brachio conciliari poſſint, afferre.

Filia erat Theodolinda Garibaldi Bojorum Ducis, quem Ratiſbonæ Regiam fixiſſe inſtar dein Theodonis I & aliorum Ducum, non ineptè divinabimus. De Theodone enim primo id Cirinus ſeu Aribo noſter apud Cointium T. 3. Ann. Eccleſ Franc. In Actis S. Emmerami diſertè prodit. Hinc etiam Velſerus Rer. Boic. L. 3. f. 90. *Reginoburgum per multas ætas caput fuiſſe, pronuntiat.*

Novimus pariter ex Langobardorum Hiſtoriographi Teſtimonio, Garibaldum & cæteros Duces præter Bajoariam etiam Regionem noſtram usque ad Metas Langobardicas, propè Vallem Ananiæ moderatos fuiſſe.

Principem Catholicum Garibaldum fuiſſe conſtat, uti & ejus conjugem Waldotradam, Theobaldi Auſtraſiæ Regis Teſte coævo Gregorio Turonenſi L. 4. Hiſt. c. 9. defuncti Viduam. Filiam veró ſummè Catholicam, imò ut Fredegarius in Chron. c. 34. docet, ipſi Childeberto Francorum Regi antea deſponſatam, ſed conſilio Brunehildis alteri poſtpoſitam: etſi aliàs Pater Genti præeſſet in Bajoaria hac, aut ad Sacra Ethnicorum, aut ad alias ſuperſtitiones iterum, iterúmque relapſæ, nondum firmatis nempe Epiſcoporum Sedibus, limitibúsque, ac raris ubique Sacerdotibus: ubi diſciplina collapſa, ubi multi ſe Presbyteros & Epiſcopos mentiebantur; in qua Afri, Manichæi, Rebaptizati, aliique hujus furfu-

furfuris homines, ut Hanſizius p. 109. & ſeqq. docet, ſacris ſe immiſcebant.

Huic igitur Genti Garibaldus Dux aut Francorum Regum ſpeciali beneficio, aut ſaltem nexu Clientelari, ut nihil de affinitate dicam, imperitabat; eo tempore quo Sedes unica metropolis Laureacenſis vacabat, & in tam vaſta totius Norici Regione ſola Sabionenſis, ejúsque Epiſcopus Ingenuinus eminuit. Tiburnienſis enim jam Sclavis dominantibus ceſſerat: Ingenuinum igitur Catholico Principi, Conjugi, Filiæ non innotuiſſe, omnem veri ſpeciem tolleret, quod multò adhuc verius, ſi ex Anonymi Mabilloniani ſententia primus fuiſſet Epiſcopus Ingenuinus; id omne enim tum huic Principi debuiſſet: ferè ſolis etenim Principum beneficiis tum erigebantur, ac dotabantur Eccleſiæ.

Theodolindam dein Autharis Langobardorum Rex, inter Legatos tectus, ſponſam petiit. Nova hæc cum Langobardis affinitas ſuſpecta Francis & quidem meritò fuerat, quippe jam antea Evinus Tridentinorum Dux Teſte Diacono L. 3. c. 10. *accepit Filiam Garibaldi Bajoariorum Regis*, cujus, Garibaldi nempe, & Evini regionum fines contigui erant. Nam quidquid his nuptiis intenderet Evinus, ſeu etiam Garibaldus ipſe, Francis diſplicere debuit; aut enim Evinus Principem vicinum Francis devinctum, imò cum Francica conjuge ſociatum in ſuas partes traxit, aut Garibaldus ipſe, ut putat Adlzreiterus, licèt Francis clientelari nexu foret obnoxius, tamen, ut ſuos fines adverſus creſcentem in dies Langobardorum potentiam firmaret, hanc Evino filiam deſpondit: & ſic ad plura promptus videri poterat, utilitate, affinitate, aut fortè etiam neceſſitate ſuadentibus. Hinc *Crammichis Guntrami Regis Legatus* (pergit idem) *Alpes transgreſſus Tridento expugnato Evinum tota ditione ejectum retruſit in Italiam, inde cum Langobardorum ſuppetiis reverſus pugna Salurnis commiſſa, ac Crammichitide interempto Tridentum recuperavit. Garibaldus ob eam victoriam Longobardis addictior affinitatem junxit cum Rege Authari.* Aut ſi mavis, iſtud veroſimilius credere, quod mox iterum Adlzreiterus affert, me non invito facies: *Autharis quidem repulſam paſſus, multáque de violatis Franci promiſſis conqueſtus, ſua vota ad Regis Garibaldi affinitatem convertit.* Ita iterum, ut dixi, Adlzreiterus P. 1. L. 6. p. 132. loquitur: *Nam* (quod Gregorius Turonenſis L. IX. c. 25. teſtatur)

tur) *Childebertus Rex cum petentibus Langobardis ſororem ſuam* (Clodewindam) *Regi eorum* (Authari) *eſſe Conjugem acceptis muneribus promiſiſſet, advenientibus Gothorum Legatis ipſam - - - - repromiſit;* & hæc utique cauſa, præter alias, quas fortè Evinus, aut Rex Langobardorum ſuggeſſere, eſſe potuit, cur Theodolindam ambiêrit Autharis? Ægrè tulêre affinitatem hanc Franci, & ut Brunnerus noſter notat P. 1. L. 4 p. m. 132. & 133. *hæc jam altera cum Gente Langobardica, ipſóque adeo Gentis Rege, contracta affinitas Garibaldo exitium tulit; Childebertus enim, ut Autharim ſpe fidiſſimi, certiſſimique auxilii nudaret, ut Paulus Æmilius ſcripſit, eadémque opera Boicam haud obſcurè ad Langobardos inclinantem in fide retineret, derepente Bavariam aggreſſus eandem in ſuam poteſtatem redegerat, Garibaldo vel interempto, vel ut alii ſcribunt, in Italiam ad Autharim profugo, cui Thaſſilonem ſuffecére.* Paulò poſt ad Aguntum noſtrum Slavorum victorem.

Cùm tamen antequam irrupiſſent Franci, ut Paulus L. 3. c. 31. fidem facit, *propter Francorum Adventum perturbatio Garibaldo Regi adveniſſet, Theodolinda ejus Filia cum ſuo Germano nomine Gundoaldo ad Italiam confugit, ſeque adventare Authari Sponſo nuntiavit, cui ſtatim ille obviam cum magno adparatu nuptias celebraturus in campo Sardis, qui ſuprà Veronam eſt, occurrens: Eandem cunctis lætantibus in conjugium Idus Majas accepit.*

Confecto hoc bello Boico, ſublatóque vel è vivis, vel è Ducatu Socero ad Generum utrumque Evinum & Autharim converſus Childebertus Tridentino agro cladem infert, oppida contra fidem datam igne ferróque exſcindit, homines in ſervitutem abſtrahit: à ſolo Ferruge Caſtro ultimum exitium averſum eſt duorum Epiſcoporum Ingenuini Sabionenſis & Agnelli Tridentini precibus.

Nonis dein Septembris proximi derepente veneno ſublatus Autharis vacuum Agilulpho thronum & thorum reliquit: qui anni ſequentis Majo, Rex renuntiatus Agnellum Epiſcopum & Evinum Ducem Tridentinum in Franciam miſit, illum ut captivos ex agro Tridentino abductos redimeret: hunc, ut pacem agi cœptam daret confectam. Evino autem anno DXCV. aut ſaltem proximo morte ſublato ſucceſſit, ut ait Paulus L. 4. c. 11. *Dux Gaidoaldus Vir bonus ac fide Catholicus.*

Theo-

Digitized by Google

Theodolinda interim & Regem & Gentem, Arii erroribus repudiatis Catholicorum ſacra, ut amplecterentur, induxit. Laudata igitur à Magno Gregorio, qui intra annum 593. & 594. (ut ſupputant Clariſſimi San. Mauriani in ejus S. P. operibus editis) primam ad illam Epiſtolam dedit, in qua dolet, ab aliquibus illam Epiſcopis fuiſſe perductam, ut ſeſe à Catholicæ unimitatis communione ſuſpenderet, hortatúsque eſt vehementer, ut cum Conſtantio Mediolanenſi Epiſcopo communicet.

Eodem adhuc anno alteram ad eandem ſcripſit Epiſtolam hic Sanctiſſimus Pontifex, in qua trium capitulorum negotium & Res Aquilejenſes aliquas complexus ab imperitis ſeductam iterum dolet. Sanctarum quatuor Synodorum, maximè Chalcedonenſis fidem in Romana Eccleſia integram ſervari profitetur, hortatúrque ne extra Conſtantii Epiſcopi communionem maneat.

Cum Marito inſuper Agilulpho nomine ſummi hujus Pontificis de pace agebat ſubmiſſus ab eo nuntius noſter Secundus Tridentinus, ut ex Ep. 30. L. 6. n. 30. pluribus patet. Hâc anno 599. ſtabilitâ eidem Secundo longiſſimam Epiſtolam l. 9. n. 42. & 43. idem S. Pater ſcripſit, in qua ejus Scripta laudat, de ſolitaria Secundi vita tribus capitulis & Chalcedonenſi Synodo mentionem ingerit, monétque, ut ſtudioſiùs cogitet, ne errorum Schiſmaticorum ſequens à Sancta univerſali Eccleſia diviſus poſſit inveniri: multáque alia circa hanc diſſerit, alia verò dilucidè reſolvit.

Hunc Secundum Virum fuiſſe teſtatur Baronius T 10. f. 641. magnæ apud omnes ob vitæ Sanctitatem atque doctrinam exiſtimationis, cæterùm traxiſſe nimium viſus eſt contentioſum funem adverſus Gregorium; nam aliis poſt quinquennium datis ad Theodolindam Epiſtolis, Eidem iterum fuerat de tribus capitulis & V. Synodo ſcribendum: *Illud autem, quod Excellentia veſtra ſcripſit, ut dilectiſſimo Filio noſtro Secundo Abbati, ad ea, quæ ſcripſit, ſubtiliùs reſpondere deberemus, quis petitionem illius, vel veſtra deſideria, quæ multis eſſe profutura cognoſcit, ſi ægritudo non obſiſteret, duceret poſtponenda? ſed tanta nos podagræ infirmitas. &c.*

Ad finem anni denique 603. finem, aut 604. initium, natus eſt Agilulpho ex Theodolinda Filius Adoaldus, *Dux de Tridento & Giſulfus de Foro Julii* (verba recito Pauli Diaconi L. 4. c. 28.)

cùm antea à Regis Agilulphi ſocietate, diſcordarent, ab eo in pace recepti ſunt, tunc etiam ſuſceptus de fonte eſt Adoaldus à Secundo Servo Chriſti de Tridento &c.

Ex Actis his de Theodolinda nonnihil fuſiùs allatis, quid pro Sancto Ingenuino noſtro erui poſſit, diſpiciamus.

Et imprimis quidem præmittimus fines Epiſcopatûs S. Ingenuini ab occidente in orientem à Pago Bruzio per totam Oeni vallem Rattenbergam usque (& fortè ulteriùs) trium ad minimum dierum itinere: à ſeptentrione in meridiem Oeniponto Cluſinam ex utroque, Cluſinâ verò à ſiniſtro latere per varias Dynaſtias, quarum ultima non multum à Bauzanenſi diſtrictu remota eſt tridui iterum ſpatio. Brixinâ rurſùs in Orientem per Aguntum ad Terminum Slavorum, rivulum nempe Montis Anaraſi & Dynaſtiam Anraſenſem per ſeſqui diei ſpatium: Et Oeniponto demum Scarbiam verſus, ultra dimidium diem fines extenduntur.

Per omnem autem Epiſcopatum viæ in his regiæ ex Bajoaria patent: ab Oenipontibus (Oetinga Veteri) per Rattenbergam oppidum Veldidenam (Wilthinam nempe) ab Oriente: alio Itinere Scarbia (Scharniz hodie) iterum Veldidenam velut à Septentrionibus: à Veldidena ſeu Wilthina Aquilejam per Loncium, & iterum Veronam ex alia parte. Ad fines Itineris Boici Italiam ac Meridiem verſus Langobardi erant, duplici conjugii fœdere juncti. Bellis eapropter in Tridentino, ut Paulus loquitur, territorio impliciti: ad fines Norici Puſtrenſis (à Puſtriſſa, regionis nomine, toties in Diplomatibus ac Chartis Pagenſibus occurrente) novi hoſtes Slavi Noricum montanum nuper Bajoariis eripuerant. Gratìs igitur moveretur hîc quæſtio, num itinera hæc à Ducibus Bajoariæ tum trita fuerint.

Jam verò Sponſas Principum breviori ac commodiori per oppida itinere ad locum Sponſi deduci, quis ibit inficias? iter noſtrum cum filia prima Garibaldi, Ducis Tridentinorum Evini Sponſa, viâ regiâ Ratisbonâ Auguſtam Vindelicam deduxit, tum Abudiacum, Parthanum, Inutrium, Scarbiam: ac mox ad noſtrum in Brionibus caſtrum (ùt Veldidenam vocat S. Gregorius Turonenſis) ad Breonenſis plebis cives (ut Aribo noſter compellat) tum Matrejum, Arcem Vipitinam, (ut illam Diploma apud

apud Meichelbekium indigitat) dein Sabionam, & ferè ad ſiniſtram Hiſarci ripam Bauzanum usque: & ſic per triginta circiter Milliaria Germanica per ſolum Epiſcopatum Sabionenſem (unicam tunc temporis in tota Boica Sedem ſtabilitam) proficiſcendum fuit Ducis Tridentini Sponſæ: Huic an tanquam Vicinus Tridentinorum Regioni Epiſcopus priùs jam notus fuerit Evino, aut Garibaldo Principi ſuo, nemo equidem diſertè affirmare poterit, quid autem conjectare liceat, in propatulo eſt.

Huic igitur Sponſæ tranſeunti obviam proceſſiſſe aut ſaltem alicubi veneratum, aut omnino Tridentum comitatum fuiſſe noſtrum Præſulem vix abnuere auſim. Ita ergo innotuit, aut innoteſcere unà potuit Garibaldo, Evino, ac Principis Sponſæ Theodolindæ Ingenuinus noſter.

Eandem rurſùs viam trivit ac tanquam Bois comitantibus per illam Rex rediit Autharis, jamjam affinis Evini: & ſi in manſionibus, oppidiſque prandendum pernoctandúmque erat, etiam talis Sabiona fuit, & fortè unica inter Vipitenum & Bauzanum, quæ diſtantia tamen iter XVI. horarum conficit.

In perturbatione Aulæ Garibaldi, in fuga ad Sponſum, an viam aliam elegerit Theodolinda, quàm proximam, tritam, ac breviùs cæteris conficiendam? rurſum an Catholicæ Principi, Ducis ſui Filiæ, futuræ Reginæ, in tranſitu omne obſequii genus exhibuerit Sabionenſis Præſul, non auſim dubitare.

Verùm hæc cum conjecturis ſimillima ſint, nihil moror; illud autem nunc ſcire vellem, ſi nihil commune Ingenuino cum Theodolinda fuit, aut cum ejus ſorore Evini conjuge, cur Ingenuinus ſe ingerit circa redimendos in Caſtro Ferruge captivos? Bellum propter Theodolindæ matrimonium in tractu Langobardico Evini, in ſolo Epiſcopatu Tridentino geſtum fuit; quis ergò vocavit Ingenuinum noſtrum, Autharis, Evinus, Theodolinda aut ſoror ejus Evini conjux, an Agnellus Epiſcopus, an nemo, an omnes rogârunt?

Sed ſolus fortè Epiſcopus fuit Agnellus, qui vicinum Venerabilem Fratrem ſuum ad opem ferendam permovit, quem aliàs in Schiſmate Aquilejenſi Socium novit, ut ex præſentia in Mariana Synodo, & ex Subſcriptionibus in libello ad Mauritium Imperato-

peratorem miſſo, ad oculum patet: ubi ſemper Ingenuinus & Agnellus pari ratione ſubſcripti leguntur?

Non potuit igitur latere hæc in Captivos charitas ipſam aulam Longobardicam etiam tacente Epiſcopo: Evinus Dux quid cum ſexcentis ſubditis ſuis actum & ſoror Theodolindæ, Evino juncta Matrimonio, an ignoravit? an ſoror ſorori, quid in cauſa veluti propria, in bello nempe propter ſuas nuptias excitato, actum, non nuntiari curârit, imò ipſa perſcripſerit? an Evinus & Agnellus ad Theodolindam & Agilulphum, ut in Franciam mitterentur, atque cæteros captivos ut liberos & Langobardis pacem redderent, vocati; non commemorârint adhibitam fuiſſe ab Ingenuino pro Langobardorum ſubditis liberandis opem eximiam? & in bello hoc ob Theodolindæ matrimonium cum Authari initum cum Francis jam & Patris & Filiarum hoſtibus; pro his redimendis egiſſe Epiſcopum Bavarum? Adhibiti nempe fuère ab ipſis viris, Principibus Arianis, ſuaſu conjugum Catholicarum pro redimendis Catholicis à ſervitute Francorum, Hoſtium item Catholicorum, Epiſcopi Catholici.

Neque apud Paulum rerum Langobardicarum ſcriptorem tempore illo in Regia Theodolindæ, & Agilulphi, Epiſcopos aut viros illuſtres alios deprehendo quàm Evinum & Gaidoaldum Duces Tridentinos, Agnellum item Epiſcopum, & Secundum Abbatem, iterum Tridentinos: & quid ex hactenus perceptis ſuſpicer aliud de Ingenuino, veriſimiliùs non ſoli Agnello, ſed & reliquis noto, fortè etiam familiari, ac certè de omnibus penè merito?

Firmat conjecturam meam omnium mens una de Schiſmate, vel ſaltem hæſitationes ac dubia de V. Synodo, ut audivimus Thodolindæ, Ingenuini, Secundi, ac Agnelli: imò ipſius Regis Agilulfi, ut ex nota illa S. Columbani Epiſtola ad Summum Pontificem patet. His nempe injuriam fortaſſis haud inferemus, ſi eos Epiſcopos illos Seductores Theodolindæ credamus; utpote quæ aliàs in Regia ſua Modœtia, non procul Mediolano ſita, vix vicinos habuit Epiſcopos Schiſmaticos. Sed cum Mediolanenſi Metropolita Chriſti Vicario adhærentes, quantùm conſtet omnes: de Venetiæ autem atque Iſtriæ Epiſcopis (quos ſolos in libello ad Mauritium ſubſcriptos lego & nullum Inſubriæ) adnotatum invenio

nio prorſus nihil, quòd in aula Theodolindæ Langobardica illis quidquam negotii fuerit, ſicuti noſtris, quos dixi, Agnello, & non incredibiliter etiam Ingenuino. Licebit igitur cum Cl. Bollando etiam nobis credere, Ingenuinum, maximè poſtquàm Theodolinda Regina ad Catholicorum Communionem erat revocata, ſeu veriùs Conſtantio Mediolanenſi communicavit, ipſum quoque Ingenuinum veritati manus dediſſe. Et certè ſi vir præſtans Thomaſinus Agnellum Tridentinum præter alios Epiſcopos inter illos connumerat, qui errores ſuos deſeruêre, non video, quomodo tam amicum ac familiarem Tridentino Sabionenſem Epiſcopum omittere potuerit; verba autem Thomaſini T. 1. P. 1. L. 1. c. 22. p. 28. n. 6. hæc ſunt: *Itaque ad unitatem rediêre Eccleſiæ, Epiſcopi Utinenſis, Tridentinus, Veronenſis, Vicentinus, Tarviſienſis, Feltrinus, Bellunenſis, Polanus, & nonnulli alii.*

* *

CAPUT XI.

Tentatur quoque inter Baronium, Pagium, & Raderum media de exilio ſententia.

Audivimus nunc, quomodo Bollandi conjectura ſuſtineri poſſit: ſed jam gravior difficultas imminet circa exilium nempe D. Ingenuini. Multùm hæret, & quidem meritò Vir doctiſſimus Tartarottus, neque hujus author Rex Autharis illi, imò nec Rotharis, nec Ariovaldus placet, quin nec locus exilii, aut qua ratione in hunc, Brixinonem nempe, mitti potuerit Ingenuinus, capit, ſi Brixina ea ætate nondum condita erat? quodſi per Brixinonem Sabionam intellexerit Baronius, non putat ille Epiſcopum quemquam in exilium mitti, cùm ad ſuam deſtinatur Eccleſiam. Factum igitur illud pro commentitio habendum contendit. Atque, ut quod res eſt, minimè diffitear, eadem penè mihi placuiſſet ſententia; cùm nihil omninò in monumentis Brixinenſibus, Scriptoribus paulùm antiquioribus, aut Libris Liturgicis repererim. Authores quoque, qui hoc exilium adſeruerant,

 id ex

id ex Petro de Natalibus & Proprio mutuâſſe videantur. Quibus quantum tribuam, jam dixi. Cùm tamen pleraque Ingenuini acta (niſi quæ extranei Scriptores de Schiſmate tradiderunt) periêrint, & à tot remotiſſimis ab obitu ejusdem Sæculis, millies perire potuerint, nollem ſtatim, etiam hanc traditionem rejicere; præcipuè cum ea allaturum me ſperem; quæ neque cum temporum illorum ſeu vitæ tranſactæ conditione, ulla ratione diſconveniunt.

Mallem tamen omnino, ut quæ hic de exilio dicturus ſum, ita neutiquam quis accipiat, quaſi illud revera contigiſſe in me reciperem: ſed eo duntaxat modo, quòd ſi fortè illud certò contigerit, (de quo tamen ipſus vehementer dubito) re ipſa, qua de cauſa, quo impellente, & quo in loco potuerit contingere, quin error ullus, quem non unum authores circa hoc exilium commiſêre, retineri debeat; donec vel tempus acta certiora, vel majorem veriſimilitudinem viri docti afferant.

Et imprimis quidem non videtur mihi credibile, à quoquam Langobardorum in exilium miſſum fuiſſe D. Ingenuinum; nam cum nulla unquam ratione ſub eorum ditione fuerit hic S. Præſul, haud video, quomodo hanc illi pœnam irrogare potuerit Regum Langobardicorum quispiam. Notabili ſatìs ſpatio Sabiona à finibus Italiæ, ſeu Metis Langobardicis diſtat, quos eorum Scriptor Paulus in Campo Rottaliano, per quem Fluvius Naunus, ſeu Noſius vulgò, in Atheſin fertur, ad Fauces nempe Vallis Ananiæ ponit; ubi ſcilicet Autharis, cùm jam propè Italiæ Fines veniſſet, ſecúmque adhuc qui eum deducebant, Bajoarios habebat, ſecuriculam in arborem fixit, adjiciens: *ſic ferit Autharis*, ut Paulus L. 3. c. 31. narrat: *Anagnis enim Caſtrum* (& Vallis) *ſuprà Tridentum & Fines Italiæ poſitum eſt;* ut idem L. 3. c. 9. confirmat, atque hinc hodie adhuc hæc finium, locorúmque perdurant nomina; Locus enim citra Noſium *Medium Coronæ*, *Metæ Teutonicæ*, *Mezzo Todeſco*, alterum ultra hunc fluvium *Medium Langobardicum*, & *Metæ Langobardicæ*, *Medium S. Petri* à Patrono ibidem illius pagi Eccleſiæ, *Mezzo Lombardo* Italis audit, nobis Teutſch-Mez und Welſch-Mez compellantur. Ita nempe montes noſtri & ad hos pagi duo, qui ad fauces Vallis Ananiæ ſiti ſunt, inſtar Pyrenæorum Montium (qui teſte Ducangio Me-

tæ

tæ Caroli ideò audiunt, quòd Carolus M. arma ſua victricia ulteriùs non tulerit, nempe usque ſub Hiſpanos fines portúsque remotos.

Qui Caroli Metæ populari voce vocantur.

ut ait Wilhelmus Brito L. 1. Philipp.) pariter à Langobardis hoc nomen ſortiti ſunt, quòd arma ſua victricia (ſaltem tum) ulteriùs non tulerint.

Hucusque igitur Bojos Comites habuit Autharis, dum ſponſæ videndæ ſtudio inter Legatos latens ab aula Garibaldi redux ad hæc loca pervenit. Fines ergò Italiæ & Langobardorum ad dextram fluminis ripam ad ſiniſtram Fines Bojoariorum erant, ad quos Miniſteriales Huſingi Langobardorum Comitis, ut Aribo noſter in vita S. Corbiniani c. 17. refert, hunc S. Virum comitati ſunt, illo igitur tempore Tyrolis Bojis parebat, in quo & Sabiona ſita fuit.

Probabiliùs igitur longè videtur, à Duce quodam Bavaro poſt libellum ad Mauritium miſſum impellente Brunihilde Francorum Regina aut Regibus Theodorico & Theodoberto adhortante S. Gregorio M. ad fines remotiores Diœceſis ſuæ ut emendaretur, in exilium pulſum fuiſſe S. Ingenuinum, non novo illorum temporum exemplo, nam & Vitalem Altinenſem ob Schiſma hoc multavit Narſes, ut Paulus Libro II. c. 4. docet. Sic & Smaragdus Exarchus comminatus eſt exilia Schiſmaticis his Epiſcopis, ut idem L. 3. c. 27. Diaconus narrat.

Brunihildem enim S. Gregorius M. L. 9. Ep. undecima Ed. Paris. An. 1705. diſertè admonet: *præterea hos* (Epiſcopos) *quos ſub unitate Eccleſiæ Schiſmaticorum error diſſociat, ad unitatem pro veſtra mercede ſtudete revocare concordiæ.*

Ex quibus ùt puto ſufficienter liquet, curam Schiſmaticorum inſtigante ſummo pontifice tum geſſiſſe Franciæ Reginam Brunihildem, (quæ etiam Teſte Paulo Diacono lytrum pro Tridentinis captivis expendit) tum etiam Reges ipſos; & quidem jure proprio omnes, nec quidquam obeſt, quin Ingenuinus hîc intelligi poſſit Epiſcopus, vel à marito vel filiis, aut à ſe ipſa in Bajoariam miſſus, aut ſi à Clero & Populo electus fuerit ab his ſaltem confirmatus. Atque hinc tandem capio, cur D. Ingenuino

pro

pro exilii loco aſſignari forſitan potuerit Brixina locus in Bajoaria ſeu Norico Alpeſtri ad fines Rhætiæ ac Norici Tauriſcorum Territorio hodie Salisburgenſi adjacens, qui illo adhuc tempore Duces Boicos reſpexit, clientelari jure Francorum Regibus adſtrictos. Situs ejusdem in recentiori Geographia hic eſt: verſùs Septentrionem in Curſu hodie publico Tyrolenſi manſionem notam *Elmau* binis circiter horis remotam reſpicit. Meridiem verſus *Alpes Noricæ* ſeu *Tauriſcorum in Pinsgaw* imminet: verſùs orientem civitas noſtra Kizbichl. ac verſùs occidentem Forum Salisburgenſe *Hopfgarten* occurrit, quæ omnia æquali ferè ſpatio diſtant.

Media his Vallis eſt circiter ſex horarum, quæ à pago ejusdem loco principe Brixina Brixinenſis audit: tota rupibus horreſcit, nec admodum hominibus frequens. Loci antiquitatem Charta Arnonis demonſtrat, in ea enim §. XIV. lego: *ad Brixina, Eccleſia, cum Territorio.* His igitur non improbabiliter conhærentibus etiam illa difficultas tolleretur, à nemine hactenus, quòd ſciam ſublata, quomodo Brixinæ potuerit eſſe in exilio D. Ingenuinus noſter.

His accedit, exilium hoc potuiſſe vel ab ipſis Francorum Regibus infligi; nam Ingenuinus vi Legum Boicarum vel impoſitus fuit à Regibus Francicis aut ſaltem eorum voluntate tamquam Epiſcopus præfuit; hinc etiam impellente S. Gregorio M. à Rege, vel Regina, aut eorum juſſu à Ducibus Bavariæ in exilium miſſus dicendus foret. Verùm, ùt ab initio dixi, referre hìc tantùm volui, quid mihi videatur, quomodo nimirum contingere potuerit, non verò quòd ita contigerit Divi Ingenuini Brixinæ in Norico exilium; præcipuè cùm *Brixentes* in Trophæo Alpium Plinii non inter *Hiſarcos, Breunos* & *Genaunos* Rhætiæ Populos, ad quos nempe hi omnes pertinent, ſed ſeriùs inter devictos alios Populos collocentur; & ego hujus vallis incolas ibidem inter Noricos Tauriſcos veriſimiliùs intelligi, atque locari in hac valle poſſe, alibi pluribus edocturus ſum. Sed hæc exercitii Geographici duntaxat cauſa, & nullo modo aliter, ac ne quidem inſtar conjecturæ fortioris dicta ſunto.

CA-

CAPUT XII.

A Schiſmate igitur receſſiſſe adhuc Sanctum Præſulem noſtrum, credendum.

Allata hactenus ſunt cultûs S. Ingenuini tam in Diœceſi noſtra, quàm in Alemannia, & Francia, ubi Sanctitas ejus nota eſſe debuit, tam antiqua ac certa monumenta, quæ convelli neutiquam poſſunt: adjecimus his non imprudentes ut ſpes eſt, conjecturas, quæ rerum etiam ac temporum circumſtantiis munitæ ſunt; à duodecimo enim, quod à morte divi Ingenuini jam excurrit ſæculo reliquam vitæ ejusdem Hiſtoriam legitimam & haud interpolatam conquirere, res eſt ferè impoſſibilis. Ex his tamen quæ attulimus, inferri citra dubium poteſt, eundem Præſulem noſtrum ante mortem certè reſipuiſſe, Schiſmatiſque vel nuntium remiſiſſe, vel materialiter tantùm, ut ſcholæ loquuntur adhæſiſſe: atque actuum heroicorum ſingularia, forte non ſine prodigiis, ſpecimina edidiſſe; ut adeò ulteriori Sanctitatis & cultûs probatione minimè egeamus.

Cùm autem noſtræ, quæ attuli, monumenta ejus ſint indolis, quæ ſi cum ſuis circumſtantiis ſimul proponantur, eas pariant conjecturas, quæ rem & acta luculentiùs adhuc ob oculos ponunt, illas etiam compendiò hac lege afferre licebit, non quòd his aſſenſum poſtulemus indubium, ſed ut aliis viam paremus, altiùs adhuc acta S. Ingenuini rimandi, ac Sanctorum Patriæ Faſtos paulatim meliùs illuſtrandi: præcipuè cùm etiam conjecturæ, ex Temporum circumſtantiis ſimul allatis natæ, magnam veriſimilitudinem pariant, multa non rarò in meliori lumine collocent, viámque ulteriùs indagandi, ſatis jam tritam commonſtrent.

Et imprimis quidem Martyrologium vetuſtiſſimum Antverpienſe ad initium Sæculi octavi Epternaco ex Francia allatum,

ejus ibi cultum vix non primo à morte ſæculo luculenter com. monſtrat.

Mortem cujuscunque Epiſcopi in Bajoaria Regi Francorum innotuiſſe eò minùs dubitandum, cùm ille jure ſuo vel renuntiaverit alium, vel à Clero & Populo electum indulſerit Eccleſiis Antiſtitem.

Statum quoque Eccleſiarum Bajoariæ Regi & Epiſcopis Franciæ, quibuscum Rex graviora negotia plerumque & frequenter compoſuit, perſpectum fuiſſe illorum cura ac ſolicitudo mittendi Apoſtolos, ac operarios in Noricorum Provinciam comprobat; non ignota igitur eſſe potuit Regibus & Præſulibus Schiſmatis Aquilejenſis Hiſtoria, & acta inter Gregorium Magnum, Mauritium Imperatorem & Schiſmaticos Epiſcopos latuiſſe illos vix poterant.

Unicus nempe ex Franciæ, Alemanniæ & Norici Epiſcopis Ingenuinus erat, qui Gregorio Pontifici Maximo communicare recuſans, Imperatoris auxilium cum cæteris Iſtriæ atque Venetiæ Præſulibus imploraverat. Singulare hoc facinus omnibus Francicarum Provinciarum Epiſcopis ignotum fuiſſe haudquaquam credibile videtur; neque conciliabulum in Mariano, aut Conventus alter ad ſubſcribendam Epiſtolam clam univerſis cogi potuêre.

Multa aliunde tunc temporis Francorum Regi cum Mauritio negotia, multæ cum Bajoariæ Ducibus turbæ: notus in aula Francica Ingenuini Collega Tridentinorum Paſtor Agnellus, imò vix eandem aulam regiam ignorâſſe putamus, quòd pro Langobardicis Tridentinorum Ducis ſubditis in agro Tridentino ad Caſtrum Ferruge per Francos irruentes captis interceſſerit hic Bajoariæ Præſul: quòd vel Captivi reliqui in Franciam ducti, poſteáque per Brunihildem redempti, reliquis ſilentibus huic Principi narrâſſent. Unde enim amabo! meliorem partem hiſtoria Schiſmatis Iſtrienſis ac documenta primigenia, quàm ex Francia accepit Baronius, & quæ præter hunc publicârunt Sirmondus, Bálluzius, Labbeus, Franci omnes, & quidem Acta præcipuè illa, quæ Ingenuinum noſtrum ſociósque & anteceſſores proximos in Schiſmate obfirmatos concernunt? niſi igitur cum allato mortis D. Ingenuini nuntio allata ſimul fuiſſent, eximia quædam Sanctitatis Teſtimo-

ſtimonia, certò certiùs neque tum, neque poſt ſæculum etiam pro Sancto ibidem cultus fuiſſet.

Accedit quòd Conventibus & Conciliis Franciæ, ut ex Bonogilenſi retulimus, etiam Abbates Monaſteriorum interfuerint; imò ex his non pauci illis temporibus ad Epiſcopalem à Regibus dignitatem promoti fuerint, qui ſi etiam aliunde Schiſmatis acta ignorâſſent, à ſuis Monachis intelligere potuiſſent, qui tum exarandis Codicibus, ac celeberrimis haud dubiè Divi Gregorii etiam, antea Monachi, operibus deſcribendis occupatiſſimi erant. Nunquam igitur niſi cum magna Sanctitatis fama illatus fuiſſet in Monaſteriorum Epternacenſis ineunte octavo, Fuldenſis, Gellonenſis ad initium Sæculi noni conſcripta Martyrologia; atque hinc ejus Sancti Epiſcopi in Monaſteriorum Franciæ Corbejenſis, Stabulenſis, Lirenſis, & Alemanniæ Auguſtani Martyrologiis ante ſexcentos annos exaratis utique ex aliis antiquioribus codicibus deſumpta credi poteſt mentio: præſertim cùm pleraque hæc Martyrologia Hieronymiana ſint, id eſt tenore ſuo antiquiſſima.

Non indigemus igitur falſa Pauli narratione, non Petri Calo, aut de Natalibus Teſtimonio: neque Bartholomæus Tridentinus Pauli erroribus inductus Sanctum pronuntiavit Ingenuinum noſtrum, ſed quia celebrem novit hujus Præſulis cultum & quòd vicina ipſi Brixinenſis Eccleſia illo ipſo, quo vixit tempore tam inſigniter eundem coluerit, ut exſtructum recens ab urbis incendio Templum Cathedrale etiam huic præcipuè dedicârit, ac conſecrârit Eberhardus anteà Brixinenſis Antiſtes, tum verò Salisburgenſium Archipræſul.

Aque eapropter neque removendum cenſemus etiam illud ipſius Bartholomæi Teſtimonium, quo Sancto Ingenuino S. Conſtantium ſucceſſorem adſtruit. Ita enim allatus toties Mabillonii Anonymus ut Parte priori oſtenſum, Sabionenſes ordinavit Præſules, ut aliis locum omnem minimè ademerit.

Sed hîc ingerit ſe Anonymi Mabilloniani defenſor, & neutiquam S. Conſtantium ſed Maſtulonem ſecundum Sabionæ Epiſcopum ex eodem Poëta aſſerit, eundémque eſſe veriſimiliter putat,

ad quem S. Gregorius L. V. Epiſtolam 47. ſcripſit; verùm hanc Epiſtolam Vir Clariſſimus Rubeus in Monum. Aquil. f. 282. ad Maſtulonem Magiſtrum militum ſcriptam affirmat, ſimilémque alteram ad Baſilium alterum militum Magiſtrum L. V. N. 46. exaráſſe contendit: ego tertiam L. IX. n. 93. Gulfari pariter Magiſtro militum inſcriptam legi: quæ Epiſtolæ tres idem argumentum ſimili tenore expreſſum in fronte pro titulo Scriptionis præſeferunt.

Maſtulonem cæteroquin non ad Sæculi VII. initium ſed longè probabilius ad VIII. medium pertinere cenſuimus.

Si verò, ut quæ in rem noſtram ſunt, ulteriùs proferamus, Francia poſt Ingenuini obitum S. Conſtantium vel miſit, vel electum à Clero & Populo Epiſcopum voluntate regia muniit, tunc enimveró non Schiſmaticum, ſed ſanctum indulſit Præſulem, qui utique Ingenuinum ſi Schiſmaticus fuiſſet, nec inſignia prorſus Sanctitatis edidiſſet ſpecimina, coli ut ſanctum nunquam permiſiſſet, qualem tamen ſtatim à morte cultum æquali jure ac methodo ſuſpicamur, qua S. Albuinus ab eadem quoque Sabionenſi cultus fuit Eccleſia, quemadmodum acta, quæ vidi, luculenter perhibent. Eccleſia certè Brixinenſis jam ſub Antone Epiſcopo ante Sæculi octavi medium magnis, ut audivimus, proventibus, & quidem in vicinia pauperis adhuc Cathedralis Sabionenſis inſtructa, ſæculum anterius loquitur ſeptimum nempe, quòd utique cultum S. Præſulis ſtatim à morte ipſius proderet.

Sed jam mittamus conjecturas; quas adhibendæ ulteriori indagini duntaxat ſcribere, & ob quendam, qualem præſeferunt rerum ordinem, hìc innectere viſum eſt; ſatìs nobis interim eſt, Ingenuinum noſtrum à tot Eccleſiis Francicis à ſæculi jam VIII. initio & ſequentibus conſtanter ſæculis: dein à S. Albuino (ac ejus tota nobiliſſima familia) à B. Hartmanno ejus ſucceſſoribus, à ſummis Pontificibus Damaſo II. (priùs Brixinenſi Epiſcopo) ab Alexandro IV. ab Henrico item II. Imperatore pariter ſancto, & quod caput eſt, nunquam à Schiſmaticis, ſed Sanctiſſimis, illuſtriſſimis, ac prudentiſſimis Viris cultum fuiſſe, & quidem cultu nullo unquam tempore interrupto, miro plus quàm undecim ſæculorum conſenſu, ipſa Veritatis Magiſtra Roma (licèt

Digitized by Google

cèt Eundem olim Schiſmaticum fuiſſe jam diù nôrit) in Martyrologio ſuo accuratiſſimo præeunte, ac nuper iterum à morum & doctrinæ præſtantia citra controverſiam & invidiam celeberrimo Pontifice noſtro Maximo Benedicto XIV. in eodem recentiſſimè ſtabilitum, omni ex Titulo SANCTUM INGENUINUM NOSTRUM honoratum fuiſſe, ſumma animi voluptate intelleximus. Denique meminiſſe velim, qui hæc legere dignabuntur, me ea, quæ Hiſtoriam & acta ejus colligenda ac publicanda concernunt, in me nunquam recepiſſe, aut recepturum etiam in poſterum, ſed quia cultùs hujus S. Præſulis documenta ſatìs inſignia (niſi me omnia fallant) collegerim, quæ forſitan aliis tam obvia non ſunt; itaque hæc ſilere Religioni mihi ducerem: manum igitur Tabulæ admovere, illáque publici juris facere conſtitui. Tu autem Lector benevole, aut ſcriptor eximie, qui reperiendis aliquando actis S. Ingenuini Hiſtoricis edendíſque incumbes, verba illa à Viro Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. D. Hondhemio Pro-Epiſcopo Trevirenſi in prolegom. p. XL. Hiſtoriæ Trevirenſis Diplomaticæ nuper præfixis alta mente reponas:

Quòd Eccleſiaſticas legendas, quousque convincentia argumenta falſitatis, ſuppoſitionis, & abſurditatis earundem habeantur, retineri conveniat, quippe quæ (præſertim ſi antiquæ ſint) ab uſu plurium Sæculorum & approbatione Epiſcoporum probabilitatem obtinent. Cúmque haud raró eveniat, ut quæ ætate ſua penitùs obliterata credebantur, nova fortuna lucem revideant, cautos nos eſſe decet, in majorum finibus movendis, quos hoc & ſuperiore ſæculo à Viris criticis cum ſubitaneo plurium applauſu ſublatos ab aliis deinde ex novis firmioribúsque argumentis pari imò majore Eruditorum approbatione reſtitutos nonnunquam vidimus; Nimis ſanè multa convelli oporteret, ſi hodiernus artis criticæ rigor, qui pias traditiones cum erroribus popularibus facilè confundit, & ſæpè bonum ſemen cum zizania evellit, exerceretur in Breviaria, Martyrologia, & eas etiam Sanctorum vitas, quæ hodieque à prudentioribus ſinceræ exiſtimantur.

Nihilominùs cum Hiſtorici (cujus partes hîc ſuſtineo) ſit usque adeò de omnibus dubitare, donec veritas pateat, per idonea argumenta atque inveſtigatione monumentorum nobis ex antiquitate relictorum bo-

rimque juſta ponderatione viam parare emendandis Legendis Eccleſiaſticis, ſi qua in parte eæ defectuoſæ invenirentur, hæcque opera bona fide ſuſcepta ſupremo rerum moderatori (qui ipſe veritas eſt & mendaciis aut malefultis figmentis oblatum ſibi ſuisque honorem averſatur) ingrata videri minimè debeat, hinc quæ de eorum, quibus ſanctam Religionem noſtram debemus, ævo ac geſtis ſtudioſo oculo conquiſiveram, neque temerè quidem (tanquam ampliori adhuc luce egentia) evulganda, nec tamen etiam omninò negligenda, aut in præjudicium veri occultanda exiſtimavi, quin ea potiùs cum Viris Eruditis communicanda cenſui, (quod ubi factum ac quomodo recenſuiſſet, pergit) *non hæſi amplius diſquiſitionem meam publici juris facere, haud alio fine, quàm ut Viri eruditiores me mea trutinent, ſua proferant, ut ſic tandem in ancipiti hac quæſtione eluceſcat veritas.*

INDEX.

Digitized by Google

INDEX.

Numerus I. Priorem. II. Poſteriorem Partem denotat.

A.

Acta ad cultum Sanctorum num requirantur II, 17. an, quæ interpolata, aut prodigia ſingularia continent, non præjudicent Subſtantialibus I, 90. ſq. quid ad hæc eruenda requiratur I, 92.

Ælim cur Salisburgum dici poſſit I, 18.

S. Albuinus ſingularis S. Ingenuini cultor I, 62. Ejus & ſuorum Genealogia ex Chartis Brixinenſium Pagenſibus affertur I, 63.

Almus idem ac Sanctus II, 57.

Anonymi Mabilloniani Opuſculum integrum cum notis Editoris affertur I, 10. ſq. Ejus patria, Scriptionis tempus ac locus examinantur 27. ſq. uti & argumentum Carminum, & Errores 22. ſq. Brixinenſi Eccleſiæ per duo Sæcula tantùm quatuor attribuit Pontifices 23. & 25. Criſis de hoc libello aliorum & noſtra 24. Cauſa probabilis cur tanti habitus ſit, affertur 26. Charta Pagenſis Brixinenſis Sæculi VIII. ejus Authoritatem infringit, uti & duæ Paſſavienſes 40. Arnoldi quoque Vochburgenſis Teſtimonium circa Ratisbonenſes Epiſcopos 39. nihil demum circa primos Epiſcopos antiquiores probat 36. ſq.

ſub Antone Brixinenſi Epiſcopo jam cultus fuit S. Ingenuinus II, 37. ſq.

Aquilejenſis Schiſmata unde & quando innotuerint II, 12. & 13.

B. Bo-

Digitized by Google

B.

Bajoariæ, ſeu Norici fines in Rhætia Sæculo octavo II, 70.

Baronius Cardinalis quando Acta Schiſmatis, & unde acceperit, II, 21. Ob ſententiam ſuam de S. Ingenuino excuſatus 69.

Bavaricorum Scriptorum error de Adventu S. Ruperti II, 9.

Bollandus defenditur II, 61.

Brennenſis Eccleſia quomodo Sabionenſis I, 97. huic Franci impoſuêre Epiſcopos I, 97. II, 31.

Brionum, Brennorum, & Vallenenſium verus ſitus vindicatur, I, 86. ſq. Eccleſia apud hos antiquiſſima S. Laurentii ibid.

Brixinæ variæ notitiæ, ac Topographia I, 43. ſq. Templum ibidem S. Stephani perantiquum I, 69. & Monaſterium II, 41. mutantur & recenſentur Patroni ejuſdem I, 70. & 73. Neque hic, neque Sabionæ unquam Patronus præcipuus fuit S. Caſſianus: nec etiam inſignes unquam ejuſdem adfuêre Reliquiæ 66. ſq. Ibidem à Sæculo VIII. colitur S. Ingenuinus II, 37. quis locus tum fuerit 39. donatur Eccleſiæ Sabionenſi à Ludovico Germaniæ Rege 39. 40. 41.

Brixina Vallis in Ditione Saliſburgenſi II, 32.

Brixinenſis Epiſcopatus fines II, 66.

Brixinenſis officii Proprii errores unde excuſandi II, 11.

C.

S. Caſſiani cultus monſtratur Sæculo octavo, I, 41. ſq. nono per diplomata 46. ſq. & decimo 55. ſq. item per Chartas Pagenſes 61. ſq. an hæc omnia de S. Caſſiano Epiſcopo intelligi poſſint p. 67. ſq.

Catalogus MS. Epiſcoporum Brixinenſium defenditur I, 29. ſq.

E.

Eberhardus Epiſcopus Brixinenſis II, 55. dein Archiepiſcopus Saliſburgenſis Eccleſiam Cathedralem ibid.

Epiſco-

Digitized by Google

INDEX.

Epiſcopi nomen Sæculo octavo, nono & decimo in Diplomatibus & Chartis vicinarum Eccleſiarum Cathedralium etiam circa certos Epiſcopos omnes omiſſum I, 67.

F.

Francia (in) cultus S. Ingenuini quo tempore cœperit I, 30. ſq.

Francorum Reges Epiſcopos in Bajoariam mittunt II, 31. 34. electos à Clero & Populo approbant 32. de Religione Bajoariorum ſolliciti ſunt 33.

G.

Germani an in cultu Sanctorum ſimpliciores ſint II, 19.

Gradenſis Synodi Acta aliàs aut falſa, aut certè ſuſpecta ſubſcriptiones Epiſcoporum veras continent I, 90.

H.

Henrici Sancti (II.) Diploma II, 47. & Quinti II, 52.

I.

S. Ingenuini cultus quando inceptus II, 16. dies obitûs ejusdem 27. colitur in Francia à Sæculo octavo 28. ſq. quæ hujus ratio 31. an ſtatim ejus mors innotuerit ibidem 36. Brixinæ quoque Sæculo jam octavo colitur 37. Cultus hic per Diplomata probatur 46. ac Chartas Pagenſes 48. præcipuè à S. Albuino 49. & ejus conſanguineis cultus fuit 50. Pro Sancto quoque habitus ab Anonymo Mabilloniano 57. ſq. an & quò miſſus fuerit in exilium 69. ſq.

Italiæ finitimæ partes, I, 81.

L.

S. Lucani Acta an obſint ejus Epiſcopatui Sabionenſi 90.

S. Laurentii cultus Veldidenæ antiquiſſimus 86

M.

Mabillonii errores de Eccleſia Sabionenſi I, 32.

 Marty-

Digitized by Google

Martyrologia perantiqua cultum S. Ingenuini probant II, 22. ſq. antiquitas eorum, & loca, ubi inventa ſunt, examinantur 28. ſq.

Metæ Lombardicæ & Teutonicæ II, 70.

Miniſter & Miniſterialis quid II, 38.

Monaſterium quid I, 54.

N.

Noriſius Cardinalis excuſatus 61

O.

Ottonis M. Diploma cum Criſi II, 43.

P.

Pagius excuſatus II, 69.

Paulus Diaconus non fuit author cultus S. Ingenuini II, 14. 15. quando vixerit 19.

R.

Ratpotonis Comitis chartæ II, 44.

Religionis Chriſtianæ monumentum antiquiſſimum Templum Veldidenæ affertur II, 83.

Richperti Epiſcopi Sabionenſis tempus 42. charta 43.

S.

Sabionæ variæ Notitiæ ac Deſcriptio topographica I, 50. ſq. Templum princeps ibidem S. Mariæ 53. dein ac hodie S. Crucis 70. ſq.

Sabionenſis Diœceſis amplitudo I, 25. an apta fuerit recipiendæ Religionis Chriſtianæ ad finem Sæculi tertii 77. ſq. illo tempore an Mediolanenſi Eccleſiæ ſubfuerit 80. ſq. non tantùm Religioni in his Alpibus Sæculo V. & VI. uti vicinis periculum 88. ritè colit S. Caſſianum tanquam Apoſtolum & Epiſcopum ſuum 104. ſq.

Secun-

Secundus Tridentinus II, 65.

S. Stephani cultus Brixinæ antiquiſſimus II, 44. 45.

T.

Theodolindæ Reginæ an quid commune fuerit cum S. Ingenuino II, 62. Ejus Acta trutinantur ibid. & 63.

W.

Wiſuntonis Epiſcopi Sabionenſis tempus II, 45.

ERRO-

Digitized by Google

ERRORES TYPORUM.

Cùm Authoris ſenſum neque Amanuenſis, minùs Typographus ſemper aſſequi poſſit, interpunctiones omiſſas eruditus Lector ſua prudentia ſupplebit: & reliqua, quæ per Authoris abſentiam irrepſêre ita emendabit:


Pagina	6.	Linea	6.	locô *Æbuini*	leget:	*Albuini.*
- -	12.	- -	35.	- - *pia*	- - -	*pura.*
- -	24.	- -	21.	- - *PP.*	- - -	*Pl.*
- -	29.	- -	23.	poſt verbulum *ante*	adde:	*Sexcentos.*
- -	29.	- -	30.	poſt verbum *certum*	dele comma.	
- -	32.	- -	26.	locô *quia*	leget:	*qui à.*
- -	33.	- -	9.	- - *Eccleſias*	- -	*Eccleſiis.*
- -	37.	- -	7.	poſt verba: *illatus fuerit* pergendum eſt Lectori in linea proxima, & ſenſu integro; per errorem enim nova linea incepta fuit.		
- -	40.	linea	28.	locô: *Clariſſa*	leget:	*clariora.*
- -	51.	- -	28.	- - *omni*	- - -	*omnino.*
- -	72.	- -	9.	- - *Rizbiche*	- -	*Kizbiche.*

Digitized by Google

005665007

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google